



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
21 D
15



IO. BAPTISTAE


LAVRI

PERVSINI

VRBANO VIII. PONT. MAX.
Ab intimo cubiculo.

POEMATA.





ROMAE, Ex Typographia Andreæ Phęi MDCXXIV.

Superiorum Permissu.


Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apostolici.

A. Episcopus Hieracen. Vicesg.


Imprimatur. Fr. Vincentius Martinellus Mag. & Soc. Reuerendiss. P. F. Nicolai Rodulfij Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Mag.

TYPOGRAPHVS
AMICO LECTORI.


Nnus agitur iam vigeſimus, ex quo hæc Clariſs. D.Io:Baptiſtæ Lauri Poëmata excudi cępere. Cum autē diuerſis ſcripta temporibus, vt & formis edita, incerta diſperſaque ferrentur; Viri longè doctiſſimi, & in Muſarum caſtris exercitati, vt in vnum aliquandò colligerem, & Poëticum veluti Aeſonem in mea officina Typographica recoquerē, grauiſſimi auctores fuere. Morem geſſi, Lector; & quamque harum ſcriptionum nanciſci potui, in Libellum coëgi, nec ei, qui confecerat, tamen inſcripſi, quod in recuſis Coloniæ Agrippinæ Epiſtolarum Centurijs, non nouo exemplo, nuperrimè factum vidimus. Nimirum valdè ſum veritus coram Viri modeſtiam onerare, quippe qui nonnullos tam virginei pudoris eſſe non ignorem, vt omninò in publicam lucubratio-



num lucem, velut in proſcenium, venire non ſuſtineant. Quare æquiore animo laturum exiſtimaui, quod Carmina ab ipſo in totum, vt videbantur, proiecta, ab obliuionis puluere excitarim, & amoeniorum litterarum cauſam haudquaquam improbabili conſilio iuuare contenderim. Nunc enim à Poëticis abhorrenti (tametſi SACRATISSIMI PRINCIPIS, cuius agit in familia, prodigioſam in ſuos liberalitatem ſilentio præterire minus potuit) ad quæ nauſearet, non erant propinanda; neque ad ſeueram Mineruam Parnaſſi ludens Chorus allegandus. Fruere igitur; benigne Lector, hoc Volumine tanquam tuo nomini dicato, ac nos ama. Vale.



EX

EX LIBRO QVINTO
VARIORVM CARMINVM
BANDINI GVALFREDVCCII
PISTORIENSIS
è Societate Iesu.


AVRE, decus patrij Trasimeni,
Vrbisque vetustæ,
Cui decora aggessit fama decora Patrum:
Dum colis eloquium numeris, & lege soluta,
Et Latij cumulas nomina prisca nouis:
Dum Sophiam quærens, Naturæ arcana tueris,
Celsus & ingenio te vehis Astra super
Nil vulgare tonas, nil est commune, quod audes;
Leta fauet meritis Dardana ROMA *tuis.*
Iam Perusina vetus tibi plaudat gloria: plaudit
Ipse tibi in medijs Rex Trasimenus aquis.

IOANNIS LVDOVICI
A REVIGLIASCO AVENIONEN.

ANAGRAMMA.
Ioannes Baptista Laurus
Tota laus Parnassi venit.
Dicite Io Musę, pariterque occurrite; Tota
Nam laus Parnassi venit *ab axe Poli.*

INDEX POEMATVM.



IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI VRBANO VIII. Ab intimo cubiculo.

SILVARVM LIBER PRIMVS.

AD AVGVSTAE VRBIS Decemuiros, reliquosq; Magistratus Perusinos.



Nimuerò agitis mecum, Patres, pro imperio, qui hanc ODEN, *Laurentianæ illius concinnatam exemplo, quam Illustrissimus D.* MAPHAEVS *Cardinalis* BARBERINVS, *nunc* VRBANVS *VIII. mira quadam felicitate contexuit, minimè comprimẽdam putatis; imò quia eiusdem Pontificis præcipuam erga Ciues nostros beneuolentiam declarat, in publicum omninò proferendam. Equidem confeceram sub hos dies nihil minus cogitans, quàm lucem: eo nimirum consilio, vt nouo argumento, etsi iampridem feriatus à Musis, Pindaricæ maiestati vtcunque viderer litasse. Quando autem ita vultis, pareo non inuitus. detur scilicet hoc Patriæ, cui si quid denegem, piaculum magnum sit: detur singulari in Principem obseruantiæ meæ, qui rem bellicam inter nostrates excitauit à puluere, nos etiam exemit*

à vulgo. Porrò legetis, opinor, æquè libenter CARMEN *de Beato Petro Abbate gentili nostro, aliquot ab hinc annis in Agelliano Rusculo, in quo ille primos hausit spiritus, à me lucubratum ad* LVCERNAM, *in quam Hymnum adiecimus; vt & ADVLATIONIS Imaginem in Aulicorum gratiam, cum primum citra fucum ac fumum Aulam iniuimus, effictam. Quibus autem* VOTIS *atque* OMINIBVS *prosecuti olim fuerimus Illustriss. Carolum Pium, huc Perusia commigrantem, haud omittendum censui. Erat enim tum Insensatorum nostrorum Princeps, ac paulò ante quàm à Clemente VIII. vocaretur ad Purpuram,* Aegyptiadem *meam non visus est aspernari, pro qua* EVCHARISTICON *Lombardellio scripsimus, acturi & vobis magnam gratiam, si tam multa post Metropindaricam cantionem, vobis vltro obiecta, non grauatè admiseritis, & ab obsequentissimo Ciuium hoc quasi poeticum acceptum fœnus publico (si fas est dicere) Gymnasij vestri bono, licet Philosophiam aliquando profitentem agnorit, resignaueritis. Valete Romæ Kal. Decembris 1623.*



DE

De S. D. N.
VRBANO VIII.
Ode Metropindarica.

AD AVGVSTAM PERVSIAM.
STROPHE I.

AVGVSTA Tellus Pręside
Felix Latino, cui triplici caput
Serto præradiat, totus & vndique
Libratur Orbis, sospitemque
Se vocat, atque humili lambit vestigia lingua;
Attolle vultus, nubilamque frontem
Discute, & blando rutilans sereno
Incede victrix, ac Parentis
VRBANI decus inclytum,
Et liberales in tuas laudes manus,
Dulce adsonante barbito,
Læta cane, adnumeraque fastis.

ANTISTROPHE I.

ILle incubantem tristibus
Legum tenebris, rarus ad hospitas
Dum Ciuis penetrat legifer insulas,
Mercator & torpens honestis
Haud vigilat lucris, inopumq; perambulat ędes:
Ad Martialis sustulit Theatri
Pristinam lucem, patriosque ad enses:
Queis excitatis incolarum
Dextris atque animis, diem
Vincat rubentem, prouocetque lampada
Surgentis ore lucido
Solis ab Aethiopum cubili.

EPOD. I.

HAud clangor æris Martij, haud lituo truci
Bellica vox adiuncta tubarum

Exciuit populi ad cædes fera corda contumacis
Natus vnus at Patris
Aegrè furenti Tybridi imperantis;
Irata nuper qui rotare cornua
Tentabat tumidus, ferox;
Vincla sed arcta Deus
Iniecit domitor, rapidasque coërcuit vndas.

STROPHE II.

NVtus benigni Numinis,
Cui casta paret Christiadum manus,
Armatas cupiens reddere adoreas
Tuscis, paratas & cohortes
Fors quæcūq. feras cōscribere, Gryphidos Vrbis.
Spontè euocauit militum maniplum,
Sedulò addicens galeis ferendis
Passim per Vmbros, per Sabinos,
Et per Flaminiæ plagam,
Padusque septem brachijs quà spumeus;
Clemente viso nobilis,
Fertur inocciduo meatu.

ANTISTROPHE II.

O Patria! antiquum decus
En restitutum: Algebat in abdito
Robur belligeræ Pallados, vnicus
Respexit VRBANVS, vetustis
Sub quo clarescet titulis Perusina propago.
Debebat huic iam vortices refractos,
Et tuos tristi Thrasimene, fluctus,
Mole ingruentes, BARBERINI
Pulsos ingenio; sinus
Qui Brachianos vetere purgauit situ,
Sæuis & vndis exitum
Præbuit edomito in recessu.

EPOD. II.

INde ab Lacu retractus ad Tybrim suum;
Confestim clementior aura

Affla-

Afflauit Mystã ad pubis pia claustra Gallicanę.
Vota amica ciuium
Nempe hinc meorum consequuntur, imo
Exprompta corde. carpit incolumis viam,
Se sistit Rhodanum ad trucem,
Officijsque frequens
Henrici Magni alternum sibi nectit amorem.

STROPHE III.

MActata sed cum victima
Insanientis fulmine dexteræ,
Binas implacido funere Gallias,
Metuque funestauit atro:
Iam se rettulerat Tiberini ad littoris oram,
Adscitus à BVRGHESIO Hierarcha
Cardines inter rosei Senatus,
Pulchrumque præstantis Mineruæ
Toti Aulæ specimen dedit:
Mox iussus arces Felsinæ sceptro graui.
Rheni minoris accolas,
Imperio regere vnus æquo.

ANTISTROPHE III.

IPsa illicò accurrit Polis
Astræa, crebris cincta manipulis
Virtutum: licet hanc Erigone sagax,
Ornata Cylleni trophæis,
Indiderit primo Pueri nascentis ab ortu.
Sed semper haud se se exserunt latentes
Pectoris dotes; latet in repostis
Seges metallorum latèbris:
Stellisque haud tenor omnibus
Idem, nitorque maior obruit, Rota
Dum transuehit faciem vagam
Aeternùm radiantis Aethræ.

EPOD. III.

QVantum per artus gaudium exarsit tuos,
Cum se adspectu ingessit amœno

Turrib. Auguſtis? noua gaudia publicus recludit
Rumor, ò Peruſia.
Petri ad beatam promouet Cathedram
Cordatus ordo Sanctiorum Principum:
Vaticana ſilentia
Sunt operata Deo,
Chriſticoliſq. datus Tuſcus Pater vſq. regendis.

STROPHE IV.

COnſcendit Aram maximam,
Qua luce Chriſtus ſe in Taburi iugo
Oſtendit; Fideiq. obrutus hoſtis eſt.
Inaugurato BARBERINO
Sol riſit, ſociæque agnouit ſtirpis alumnum.
Hinc agminatim plectra grata Vatum
Expedit cœtus, modioque pleno
Laudes recenſet, Præſidemque
Sacrorum canit obuio
Honore Thuris; templa ſuffitu calent.
Odæa plaudunt, & Polus
Dulciſono ſtrepitu remugit.

ANTISTOPHE IV.

HIs te ſodalem iungito,
Modoſque Pyrrhi ducito nobiles.
Porrò en Gryphiadum examina prodeunt,
Spargunt coronas florulentas,
Mellitiſque Apibus ſpecioſa Altaria complent:
Clypeis ſiniſtræ perſonant canoris,
Mucro vibratur, vacuoſque ad ictus
Reſpondet inductis cothurnis
Iuuentus reuerens, leuem
Meditata ſaltum; poplitemque duplicans
Præeunte ſuaui tibia,
Pierio ingeminat ſuſurro.

EPOD. IV.

SAlue ò ſupreme Præſulum: plenus Deo
Romani Paſtoris ouile

Suſcipe

Suscipe curandū: absistent rabida ora belluarū;
Prata læta floribus
Quæcunque lustres, vsque purpurascent:
Vt excubanti non deerit vigil cohors;
Sic ceu murus aheneus
Stet Perusina phalanx,
Et tua perpetuis custodiat otia castris.

PERVSIA SERVATA.

Siue D. Petri Abbatis cum Othone Secundo Imperatore congressus.

E Petra quondam qui dicitur imber in oēs
Israëligenū latè fluxisse cohortes, (mor
PETRE, tua è Petra ille idē mea ꝓluat hu-
Labra, atq; arentes, vena saliēte, refundat
Vbertim fauces; notos vt Musa relinquens
Parnassi fontes, hoc gaudeat amne lauari;
Ac me, qui tali spargo nunc pectora lympha,
Illustri ditet cantu, dum tantula laudum
Pars mihi tentatur, Præses venerande, tuarum;
Quatenus Italici domitorem Regis Othonem
Impulerit tua fama, altos deponere fasces,
Militiæq. Ducem frænarit Thybridis vnda:
Iam post eiectos Itala tellure Tyrannos,
Depulsumq. Patrem Romæ, Octauumq. Leonē
Suffectum Imperio; Latia decesserat Vrbe
Magnus Otho, Rex Germanæ iustissimus oræ,
Ducebatq. moras, partim susceptus Etruscis
Hospitijs: partim qua mollibus Vmbria cliuis
Tollitur, atq. tuos generosa Perusia Colles
Maiore exornat titulo, sceptroq. potenti
Plurima turmatim moderarier Oppida donat.
Rumor habet, ꝓperare tuas, mea Patria, ad Arces
Germanum Regem, sæuoq. hostiliter ense
Vicinas populare domos, excindere fruges,
Obtruncare greges, metiri cuncta furore.
Sunt iræ causæq. palam. quod foueris vna
Arctius Albertum, prius Itala regna tenentem,
Iuueris & pace & bello magis omnibus vna.

Præsidis hunc Latij esse Patrē, qui limina Petri
Polluat; huic etiam suffragia ferre colonos
Sponte tuos, Ducis vltrici nec plaudere dextræ:
Indoluit Matrona potens. Tristisnè senectæ,
Dixit, erit sanguis semper fundendus in hostes?
Semper ego aduersis obstantia pectora telis
Heu cędenda, feram? nullus mihi brachia tandē
Munierit gladiusq; ferox, clypeusq. timendus?
Me egregie miseram! nec adhuc inflicta cicatrix
In plenum coijt Gothica de cuspide, & alter
Ensis adest, ac Theutonica de gente ruentes
Carnifices. At .n. lachrymis (vbi vis furit hostis)
Haud dolor eximit: Patris implorāda medela est
Nempe cucullati; cui vertice Complorano
Imperio frænanda sacro stant ardua templa,
Haud ita quæ pridem collapsa, ea sarcta dicauit
Barionidæ Petro ipse Petrus, summiq. Tonantis
Creditur orando fera spicula itura sub axem,
Posse retorquere, ac iustos placare furores.
Sic statuit: mouet ægra pedē, decliuia linquēs,
Et Petri delubra subit. Subnixa columnis
Illa bis vndenis lucent, à parte sinistra
Proxima post primam, miracla æterna Columna
Ostentat: cum forte Aedis testudo labaret,
Ac dorsis firmanda foret constantibus, illam
Dum laqueis arctè implicitā in sublimia tollūt,
Franguntur funes, iam marmora flexa ruinam
Intentant, ruitura super (miserabile visu)
Corpora fabrorum. Sed adest sanctissimus vltro
Præsul, & admoto fulcit subito vngue Columnā,
Inque datam redijt sedem, muroq. cohæsit.
Templa iniens Augusta parēs, in tēpore Petrū
Adspicit ante Aram, prona ceruice recuruum,
Fit propior, curuansq. genu, Patri adstat, & infit.
Nō puto te lateat, Pater, huc festina quid ægros
Attulerim gressus, & fletu pectora rumpam,
Qui noris secreta Dei, trux imminet hostis,
Ausonia de strage calens, in sanguine nostro
Germanam rabiem satiare cruentus anhelans.
Si potes auxilij quidquam miseræ dare, si quid
Præsidij ac curæ mestæ indulgere Parenti,
En

Emmereor misera atq. Parens. Rumpentia siste
Flumina,& obijcibus cohibe. Sorbebimur vndis,
Ni tua dextra iuuet. Solet & tua dextra tumentē
Comprimere,& vasti perfringere Thybridis irā.
Pistrinum seu deiectum paret ire, receptis
In gremium trabibus, quatiētibus humida saxa;
Substructamq. recēs operam. seu margine dextro
Ipse sedens, videas à læua fluminis ad te
Aduentare Ratem, quam protinus orta fatiget
Tempestas, nautasq. paret demergere in amnem.
Tu non Pistrinum, non iam defende Carinam.
Sed Ciues defende tuos, & sedibus ipsis
Excitam gladijs abduce furentibus Vrbem,
Orabat Matrona potens. Solantia Petrus
Verba adhibet. Pone ò lacrymas, atq. optima spera
Magna parens, frangā ipse hostē, longèq. penates
Extra gentiles, primus sæua ora cruore
Explebo, te à supplicijs vt tuter apertis:
Aut voto explebor, venientis vt ira tyranni
Mitescat, nostriq. obeant mandata Quirites,
Quæ victor iusta imponet: nec me tamen istæc
Obturbant, nō magnanimi sūt crimina Othonis.
Quæ Satrapa accedens patrat. pius ille, fidelis.
Seruandæ & Fidei causa digressus ab oris
Theutonicis, venit Italiæ detrudere regno
Iniustos Dominos. vna est mihi vena pericli,
Ne Assisij trahat Vrbe moras, tardetq. ruentis
Militiæ audacem compescere voce furorem.
Res ea nempe mihi incumbat, tu mœnibus altis
Te refer, atq. animis meliora pauentibus adfer.
Assurgunt; notis Augusta Perusia tectis
Redditur, ad Montis suprema cacumina Petrus
Progreditur, tumuli ex alto vt prospectet euntem
Cædibus intentam classem. videt omnia passim
Demetere ense fero, magalia rustica fundo
Vertere, & ad sedes Vulcanum vrgere salignas.
Nec mora, sollicito per & inuia, & obuia passu
Defertur, clypeoq. Dei munitus abunde,
Et duplici comite instructus, vento Alitis actæ
In morem, ad ripam Tyberis se sistit amœnam;
Sic ex aduerso rabidum conuersus in hostem.
Quis

Quis furor (exclamat) quæ tanta insania ferri
In sociùm villas, habitataq. segniter antra
Simplici ab Agrestum turba? decet ire rebelles
Ferro extinctum hostes, & qui contraria vestris
Arma ferant armis. quid nos, gens nescia fraudū
Hic rerum gerimus? Regi tunc scilicet omnes
Fauimus Alberto, cum sceptra ferebat in omnes
Vsq; Berengario à Patre, at nunc quando potētes
Est pulsus Marte à vestro, & (sic credere dignū ē)
Causa stetit melior vobis, en ponimus vltro
Seruitij alterius vinclum, vestrumq. subimus,
Vosq; simul, magniq. decus veneramur Othonis.
Dux iube, vt à cæde abstineat tua classis, & istuc
Nolle, tuum reputa Dominum; clementia Regē
Vt iuuit, iuuet hæc etiam te ab Rege secundum.
Postulat æqua senex. tamē vltima verba furentē
Accendere magis. Nam non velit esse secundus
Ambitiosa fouens secum, atq. expertia mentis
Consilia; adscribit demens felicia Othonis
Viribus acta suis, atq. inuidus vltima in illum
Supplicia exquirat, si fors ferat. incubat autem
Pectore adhuc impressus amor plorantis Aludæ,
Quam tenebricosa victor Rex eximit Arce;
Adiungitq. sibi nuptum, ignarosq. fefellit
Spem præconceptam peditūq. Equitūq. Magistri.
Namq. Berengarius, postquā socialibus armis
Collegam Regni Italici demisit ad Orcum
Lotharium, vxorem nigris inclusit Aludam
Carceribus, ne quis dotalia pignora captans,
Victori insidias conflaret & arma Tyranno.
Ergo Italæ Regem Albertum regionis adoptat,
Cuius post maior natu sæuissimus, asper,
Et scelerum fagulo testus, puerilibus vsq.
A cunis, Petri sedem, castumq. tribunal
(Adiutus studijs & iniquo ardore nocentum)
Occupat, hinc retrò ruere ac sublapsa referri
Publica res Fidei; donec par nobile Romæ
Summorum Procerum, missis tacita arte tabellis
Ex Alemannorum terris arcessere Othonem
Decrerunt; nec cunctatur: venit agmine magno
Adfert ot Fidei in Latium certamina victor

Plura

Plura mouet, Patrem ac natū subito inde relegat
Diuersos, quos post paulo mors debita pressit.
Carcere ab obscuro formosam educit Aludam,
Et secum tædas iungit. Spes ilicet omnis
Ductori dempta est, thalamos qui stultus auebat
Illius. exinde in Regem furtim Ipse coquebat
Infelix odium; Regiq. haud sponte secundus,
Sed Cælo has voluente vices. exarserat ergò
Extremas Petri ad voces, auresq. superbas,
Ingeniumq. ferens. Debebas cautius, inquit,
Cum Duce verba loqui, nec verba impune locutū
Faxo hodie spectet mea bello inuicta corona.
Pergite pugnaces socij, truculentius enses
Stringite, & Augustos adspergite cędibus agros.
Verba, vide, quanto steterint tibi, vane Sacerdos,
Et Monache imbellis. dixit. visæq. phalanges
Velle citò vndosū transmittere Thybridis alueū.
Cōtinuo Pater ad Thybrim. Iubeo, accipe vires
Cognatas fluuiorum omnes, teq. altius effer,
In sublime vndas tollens, murumq. potentem
Fluctibus ędifica vastis, qualem extulit olim,
Quæ rubrum præfert Aegyptia lympha colorem.
Hoc vallo, hoc stolidos munimine longius hostes
Auerte. En nobis placidi clementia Othonis
Fit propior, cumq. ipse volet tibi proximus esse,
Demittes fluctus, solitumq. fereris ad alueum.
Dum fatur, celsoq. oculos sustollit Olympo,
Oraturus opem; videt æthere labier alto
Aligerum Puerum. roseum decus ardet in ore,
Virgineisq. rubet labris, frons æqua capillum
Excipit, ast alia in gyrum captiua tenetur
Collo Cæsaries. florens dat vincula sertum,
Purpureo adstrictum loro, leuiore teguntur
Tegmine, ab adsperso corpuscula candida lacte.
Fert dextra, & læua palmas canentis oliuæ.
Ergo instar Volucrum labens, & vincula librans
Pennarum, Petro adsistit, qui dulcè tuendo,
Dulcè renidendo, ramos felicis Oliuæ
Proijcit in gremium; tū prospera cūcta precatus
Confestim tenuem ex oculis vanescit in auram.
Cor Senis exsiluit partiturusq. recepta

Gaudia

Gaudia in adductos socios, dat cuiq. futuræ
Indicium Palmæ ramum, iam vicimus, inquit,
Vicimus, & proni Regem venerantur Olympi.
Interea properabat Otho de colle Subasi
Augustam versus: comitem fors se obtulit illi
Matura grauitate senex, Gryphonia ab Vrbe
Deducens generis seriem, qui multa ferebat
Cũ Duce colloquia,& titulos narrabat honorũ.
Vrbs quibus à prisci decoratur stirpe Noëmi,
Vt Gnatum fugiens, Latias penetrarit ad oras,
Collis & Augusti superarit culmina,& Vrbem
Condiderit sacram, quam quod largissima rerum
Copia,& omnigeno circumfluat amne Voluptas,
Dicta est extento Perusia nomine Graijs,
Post alijs quina est numero conclusa quaterno
Syllaba, quodq. habuit nomen iucundius ante,
Mox grauius factum est, ingẽsq. Perusia dicta est,
Adiecere Vrbi partes, hinc nomen Achæum,
Inde ẽt Aeneadũ, Thrasimænæq. Hãnibal auctor
Cladis, nec non Augustus, tum Sextius, & qui
Euertere Gothi, atq. ijdem struxere, futuram
Vsq. sub Imperio. nouit benè Lucius atrox,
Cum Constantẽ animã truculento sustulit ense,
Cum Syrum Patrem Fabianus perculit,& cum
Herculeum Totylas Heroa peremit iniquus.
Viuere tunc tonium capite intra condita sacrum
Claustra Petrũ, qui ex Oppidulo sit ductus Agello
Sacraritq. Deo surgentia germina primæ
Indolis,& castos æqualiter egerit annos.
In Patrijs illum Laribus multa edere mira,
Instaurare Aedes Superùm, lapsosq. ministros,
Et fractos membra ad vires reuocare priores,
Imperia vrgere in fluctus, releuare puellas
Ventre laborantes, conferre petentibus escas,
Quantaq. nec solido numeret vox ex Adamante,
Nec chalybe ex duro. Senior sic narrat Othoni.
Olli mirus amor Perusinũ ascendere montem,
Et Sanctum spectare Patrem. iã Thybridis vndis
Imminet. armatas circum videt esse cohortes,
Et vultu stupidas, gelidoq. horrore pauentes.
Nam fluuij chrystalla noui non vngula frangit.

Cor-

Cornipedum, non impactæ toto impete lamnæ,
Non gladij, non vmbo minax, non sæua securis.
Germanus timidis, mutisq. superuenit Heros,
Incusatq. moras, qui segnes littore sicco
Cōstiterint; nec castra sibi sub Gryphidos Vrbis
Mœnibus ornarint. trepidi non hiscere quibāt,
Non inferre pedem: tandem torpentia damnans
Agmina Otho', primus fluuio se immisit aperto.
Agnouit præscripta liquor mandata. remisit
Actutum, faciemq; humilem prætulit, agger
Longè vndosus abijt, primūq. recessit in alueū,
Intrantesq. acies admisit Thybris ouantes.
Rex auidus cognosse Petrū, trās littora ternos
Cernit adesse Patres. Senior comes indicat vltrò.
Iam ripæ propior Princeps, descendit in actam,
Augustumq; Patrem geminis complectitur vlnis,
Affaturq. palam. Te, quem mihi fama retexit
Egregium factis, & amicum grandibus astris,
Huc supplex adij, mihi qui graue numen Olympi
Conciliare velis; feruet data robora, & ensem
Tingendum cæde illorum, qui sacra cruentant
Limina, nec purum Christi tutantur ouile.
Scis quid ego insinuem. tu si quid spiritus intus
Intonat, ede libens. me sic Germania lætum
Viderit, & Domino libabo in pluribus Aris.
Cui Petrus. Macte isto animo, fortissime Prin-
A Duce regnorū Regna oīa, cōcipe grates, (ceps,
Atq. has redde Deo, quo fuderis auspice fœdos
Normannos, Hunnosq. feros, rigidosq. Boëmos,
Purgarisq. plagas Italas, aliumq. creasti
Romulidum Patrem; quamquam deiectus, & atra
Occultus latebra damnatus Præses, in altum
Se magis extulerit: non longius illud abibit
Tempus, cum Mitrā capiet quoq. tertius aureā,
Te prohibente quidē, tantumq. probante Leonē.
O qui terrarum motus, quæ signa minanti
Ardebunt Cœlo, quatientq. in pectore mentem!
Iam video excussos motare cacumina montes,
Et cædi frangiq. solum; prodire fluenta,
Spirantesq. Notos; volitare per aëra nubes,
Et facibus rutilare nouis, magnosq; molares,
Mar-

Marmoraq. impluere, atq. imbres laxarier amplos
Ventosasq. hyemes, hominumq. in veste cruentā
Confestim rubuisse Crucē. quę deinde sequātur;
Et taceo, & lacrymis largè manantibus abdo.
Nos vna tendamus iter, qua templa nitescunt
Principi Apostolico, per me instaurata, precesq.
Iungamus: Puppim seruet Pater ipse relictam,
Et nolit dubias longùm fluitare per vndas.
Sic ait, & Montes tēdunt properāter in altos.

AD LVCERNAM HYMNVS.

Hem nocturna comes, lumē cui torta laborāt
Stamina, cui Pallas dat pabula pinguis oliui.
Qua sine terrificam mortalia pectora noctem
Horrescūt, nec dulce vidēt, nec amabile quidquā
Obscurique Lares tumulos, & fœda sepulchra
Verius exhibeant, nos æquem lumine cassis.
Tu frāgis nebularū agmē, quod claustra Polorū
Occupat, illustras spatia intercepta viarum;
Nox rubet igne tuo, flammarumq. æmula Cæli,
Lunaris longè clarum iubar obruis Astri.
Per te tutus iter multa de nocte Viator
Carpit. si aërei sis fixa in vertice mali,
Aut te celsa Pharos lōginqua per æquora mittat;
Nauifragum per te securus nauita pontum
Findit, & adductis vehitur trans littora remis
An fueris dux certa mihi, si arcana beatæ
Templa subire velim Sophiæ, Phæbumue ciere?
Peruigiles impende operas, æquandaq. sceptris
Otia nostra foue. Moris tu conscia nostri,
Agnoscis parcum somni, & fortasse frequentes
Excubias quereris; cum te propiora fatigent
Spicula, & assiduum doleant Ellychnia morsum.
Hinc cernis, quàm cara mihi, quàm fida puteris
Assecla. Pieridum post ludicra, sidera calcas
Vsque adeò cognata tibi. spatiaris Olympo
Mecum vna, medijsq. faces scrutaris in Astris
Fax ipsa, ipsa Astrum. Subeam si concaua terræ;
Quid mihi Vulcanus radiantes ingerat ignes?

Discimus haud segnes squallētibus obsita venis
Ossa metallorum; Naturæq; abdita caussis
Indeprensa suis, te trudimus auspice in auras.
Sis felix radiata comes nec pectus amicum
Desere. sic viuo tibi floreat angulus auro,
Os melius, linguāq; vocem (nam flāma perennis
Fota oleo emittit vocem) dignata deinceps
Luce noua calami, celebraberis hospita lucis

ADVLATIONIS ICON.

INnatat ergò oculis etiamnum turbida vestris
Caligo? prohibetq; meum deprendere Numen,
Et nomen? quod fumosis mihi robur in Aulis,
Quas acies armare queam, quod militet agmen,
Iuratū dextramque meā, patriumque Tribunal?
Pone supercilium, caramque agnosce Parentem,
O septemgeminæ grex consultissimus Vrbis,
Extrude ignauam noctem, lux impigra mentem
Irriget, & nostrum sollers circumspice mundū.
Me natura sagax, & rerum prouidus vsus
Nascenti peperere Orbi; cum cœpit in vnum
Turba coire rudis, profligatoque ferarum
Agmine, constructis se occlusit mœnibus vltrò,
Meque Deam coluit. per me Pax omnibus, a me
Et cultus, vitæque tenor fluxere trahendæ.
Exuit hinc pecudem, commercia comis iniuit,
Sincerum eliciens arcano è pectore amorem
Fortiter his, duro fuerant qui è stipite nati.
Cernis ab auricula, excutio cū tēpus vtrūque
Quā multæ glomerentur Apes? vt Tibia spargēs
Dulce melos, frænet Ceruorum examen, & altè
Sopiat? exornetque Animal versatile pallam,
Nēpe hominis quod imago decet, quodq; aëre a-
Vescitur; atq; albū præter, roseūq; colores (perto
Induit omnigenos. quarè inspice sedulus, ecq;
Ingenium, moresque mihi; tum collige, nostro
Quidquid ab exemplo faciundum reris, vt Aulæ
Ancipites venere animos, & vincula nectas,
Vndent ora fauis, cupidas transmissa per aures
Mella



Mella Hyblæa fluant, mẽtesq; à rupe profectas,
Monstrosoque mari, facili mitescere coges
Alloquio, certoque tibi se fœdere iungent.
Scilicet Aonio non absque Amphione muros
Thebarum extructos, ætas memorauit Auorum;
Et rigidæ immoto mansissent vertice Quercus,
Nì Geticum sonuisset ebur. Mea frangere Pitho
Corda potest, adamante fata; & cũ flexilis in me
Versus amor, sẽsus animi explorare laborẽ, (lac
Quà vergat, quid pronus amet, quidue oderit; il-
Se meus insinuet, personamq; anxia in omnem
Vertar, & occulto quouis me tramite sistam.
Indoleat, flebo; lætabitur, abdita rumpent
Gaudia; vindicibus gladijs armabitur, ira
Me quoque raptabit, ferroque vltore probabit
Vel sociam Bellona suam; flagrabit amore,
Meque suo Puer Idalius spectabit ab igne
Exustam, laudabo manus, labra, ora, comasque;
Tum siue ipse sui captus dicetur amore,
Ac laudet speciem ipse suam; super astra feretur
Iudice me, pulcher; frustra & se cõferet olli (donis.
Phryx iuuenis, Narcissus, Hylas, Hyacinthus, A.
Si meliora probans, se vel sapientibus æquet;
Dixero, Socraticis illum maduisse fluentis,
Et Sophiæ assuetum dapibus, superasse Mineruã.
Non aliter geritur quodcũque, vbicũq. latentem
Vt prensem faciem, memetque per omnia laxem
Exempla. Ingenio sic versicolore notatur
Piscis, arenosæ qui stans in margine ripæ,
Instar lucentis speculi, quo cuncta coruscant,
Effigiem quamcumque bibit. sic vnda quiescens
Nullo infecta luto, rerum simulacra refundit.
Quæ latè inciderint, quippisque Magister aquosę
Vtitur indicibus ventis, & quemque fauentem
Ad pelagus cursumq. adhibet, moderatur & alnũ;
Ceu consanguineum referauerit Aeolus Vtrem.
Artibus his ergò quisquis feliciter vsus,
Qui sapiens lateri Domini regnantis adhæres;
Conscendes animorum arces, Aulęq. triũphãs
Imperio; titulis, amploque augebere censu,
Et tua venturi surgent ad facta Nepotes.

AD

AD CAROLVM EMANVELEM
Pium de Sabaudia Card. creatum.

PROPEMPTICON.

EIa agedũ croceos Lauro redimita capillos
Largius assueto mentem perfusa sereno,
Psallẽtẽ feriẽs plectro chelĩ; Eia age Cleio,
Seu Cęli te claustra tenent, & musica Siren
Dulcisonis vastum metiris raptibus Axem;
Seu Nemore Aonio, lateq. sonantibus antris
Abdita, centenos in carmina combibis amnes;
Remigio alarum celeres inuecta per auras,
Augusto succede Polo, Perusinaq. lustrans
Męnia, Lætitiam choreis tota Vrbe vacantem
Accerse, & caussas vbi noris, tu quoq. cantu
Ingentem dic Musa PIVM, qui sidere dextro
E Phaëtontæa Thyrrenam missus in Vrbem,
Gressum Romuleas propere molitur ad arces,
Purpureo meriti donandus honore Galeri.
Quod si impar oneri, meliora in tempora differs,
Et grauiore paras intexere facta cothurno,
Nunc saltem, leuiore lyra, de posse referre,
Sollicitos quæ vrgentẽ abitus in regna Quirini,
Est mea sollicitis affata Perusia dictis,
Nãq. vt digressus vigili bibit aure ꝓpinquos;
Quamquam ęuo grauior, penetralibus exsilit altis
Grypho inuecta, illi veteris quem gloria Martis,
Et vigil alterna vigilum statione tuetur
Arx PAVLÆA, tuo vix cedens Aelia honori;
Quà stat calce solum feriens, ac fræna retractans
Asper Equus, pictisq. insignia terga tapetis
Præbet, & Heroi iam subditur, alite cursu
Aeneadum in terras, Tyrium ad velamẽ ituro,
Accelerat non segnis iter; iamq. ilia crudo
Calce fatigantem, permittentemq. furenti
Non indignatas admotum calcar habenas,
Accedit, frænosq. inhibens, affatur euntem.

Phœbus

Phœbus in occiduam Calpem si tēdat, aquosis
Tethyos vndosæ non excludendus ab antris;
Succedit, latè obscuros quæ illuminet Axes,
Albo inuecta iugo, fraternis æmula flammis
Cynthia: si verò concedat & ipsa serenis
Tractibus, & dubiam media inter sidera noctem
Deserat; ah quantum niuei nox illa coloris
Perdiderit, quantus damnauerit æthera pallor!
Hinc Aldobrandi me Principis ore carentem,
Qui mihi Solaris clypei fuit instar, at ore
Inde tuo tristes abigentem corde tenebras,
Qui nostram irradias Lunari lampade noctem,
Longe alio migrans, quā cæca in nube relinquis!
Saltem prædulci soletur imagine frater.
Exemploq. tui, referat te, qui mihi vultu
Reddis Auos, Atauosq. & magnis dotibus imples
Hinc Albertia dem, Fidei munimen, Erasmon
Comminus aggressum, propulsantemq. latentes
Errorum nebulas, quas passim callidus hostis,
Spargebat, placidis immiscens tristia dictis,
Oris dānādū stygijs caput. Inde RODVLPHVM
Carporum decus, ostrinis qui fascibus auctus,
Egregiusq. animi, ternis radiare coronis
Dignior, extinctiq. oneri succedere Atlantis;
Ah plures in luce moras si fata dedissent.
Quid referā expressos vel mente, vel oris honore
Antiqua quotquot numeras ab origine Picos?
Præcipue patria egressum quē sede IOANNEM,
Quà formidatos Mirandula prospicit Histros,
Quàq. Deo vndarum Ferraria cingitur amni,
Thuscorum Medicum Florentia regna petentē,
Non semel hospitio excepi, donisq; beatæ
Florentem sophię, non vna in parte loquentem
Audij. An arcanæ præcordia mentis operta
Lege Sophos, tacitòue regat Prudentia nexu;
An genijs cognata Deum, vis altior almo
Temperet influxu, nullamq. hinc adferat Astris
Esse fidem, totoq. abigat præsagia Cœlo.
Sed delirare Astronomos, non conscia fati
Sidera securo mortalia voluere casu;
Frustra sollicitis hominem consumier annis,
Tot

Torquèriq. metu, falsęq. cupidine sortis.
Et quem fatidicas vellentem funditus artes,
Excipiunt magni memoranda Genethlia mũdi,
Septeniq. dies. Sed enim nec grande referre
Ingenium, canæq. vacat decora ampla Iuuentæ;
Cui cedat, si quem sanctis fastosa Vetustas
Euocet Elysijs. Trinacria scilicet ipsum
Gorgiam tacuisse velit, licet abdita cordis
Olli Phœbeo caleant de numine, & vndas
Hauserit Aonidum, mirandaq. gentibus ausus,
Vel quemcumq. Virum plenis in bella vocarit
Auspicijs, veraq; animum solidante Minerua,
Prębuerit doctis imperuia pectora telis.
Ast illi ne quis certet; siue vbere largo
Se se Socraticis, Chrysipęisq. fluentis
Lauerit; ætherij aut passus momenta Platonis;
Naturam, ambiguis imitantem Protea formis,
Secreto intuitu penetrauerit; omnia latè
Calleat, Ausonijs inuenta, exculta Pelasgis.
Quidquid Arabs, quidquid Chaldæo in vertice pernox
Astrologus, Solymiq. legit plaga sanctior orbis.
Atq. hunc æquari à quoquam si fata negarũt;
At queis ferre datum propius vestigia, tantum
Alter, & alter adest. Tu æui FRANCISCE prioris
Lumen: Tu nostris venerandum sidus in annis
CAROLE; cui varia differtum Pallade pectus,
Visq. Animę triplex; & quæ cognata Deorum
Cętibus, æterno prudens spatiatur Olympo;
Quæ inferior, laqueis virtutum assueta ligari,
Pessum corporeo non fertur perdita luxu;
Quæque vices rerum nata est perferre, suoq.
Ambigit ingenio, tendatnè huc prona, vel illuc
Inter vtramq. manens, nõ in te incerta, sed vsq.
Præcellens, Regina sui, quæ subiacet infra;
Insurgentẽ animam per dissona vincla reuincit,
Et cogit parere sibi, mentisq. supernæ
Munus, ad arcani sensa exploranda Tonantis
Colligit; adde omnes generosi pectoris artes,
Quot nec purpureos Cœlo numeraueris ignes;
Quot nec Erythręa gemmas numeraueris vnda,

B Car-

Cardineũ te ad fyrma trahũt;hæc omnia ruptis
Herculis inuicti conchis, tibi tegmina, & altum
Verticis irrorant crinem, claroq. rubentem
Sidere, perpetuam Fidei dant fcandere puppim;
Et iam non dubio Proretam cernere visu,
Arctoasque plagas, CLEMENTIAQ. ASTRA notantem.
Vade autem, ne forte morer tua tempora; læto
Luminis indicio, quo nunc tibi ridet Olympus,
Vtere: te dulci Zephyrus comitabitur aura;
Chloridos & lectas Hortis Violasq. Rosasq.
Ingeret in faciem, fragranti fparget Amomo
Quadrupedem, ac Phœbi assuetæ curare iugales
Horæ aderunt, fessum cælesti nectare alentes;
Et vires instaurabunt: tum Cyllarus illi
Segnis, collatusq. piger dicetur Arion.
I felix, nostriq. memor; quosq. agmine longo
Insensata Domus, tibi tempus in omne clientes
Seruat, ab interno prohibe discedere sensu.
Ante alios, quæ primæuas à vertice frondes
Iuflectit Laurus; viuaxq. insumere robur
Rore tuo sperat; quo per te educta, tuisq.
Alta sub auspicijs (si fas) non horreat olim
Exornare tuos laudum diademate crines.
Hæc ait, & pronum submittit ad oscula Gryphum:
Soluentemq. moras, & Equi spumantis habenas
Laxantẽ insequitur, qua Augusta potentia cumq.
Panditur, Ausonias certus qua ducit in oras
Trames, & impostam feptenis collibus Vrbem.

AD HORATIVM LOMBARDELLIVM

Eucharisticon.

PRO ELOGIO AD ÆGYPTIADEN.

Claudebant rigidam Neptunia sidera Brumã,
Cum mihi, Saturni vel Epistola tardior orbe
Orta

Redditur, infantis referens encomia Musæ:
Abs te autē, quem Fama ingēs latuisse Senarum
Finibus haud passa est; sed qua ligat Anguis vtramque
Arcton, qua sicco violentior æstuat igne,
Stellatamq. Crucem contrarius indicat Axis;
Quaq; diem premit, & promit Nereia coniux,
Aeternùm florere dedit, studioque perenni
Sacrauit spatijs nunquam cessantibus Aeui.
Ecquid (vbi inspecta est sapientis littera dextræ)
Scribor ego nostri clarissima lumina sæcli
Inter, & assuetus tenebris, primęue Camenæ
Forte Genethliacon celebrans cū funere, reddor
Exemptus tenebris, aliorum & funera ridens,
Per te in perpetuam calamo transmittor honorē,
Lombardelle, diem? Porro si viuimus, & si
Non occasuris in sęcula laudibus imus,
Vt munus, Vir magne, tuum, sic & tua laus est,
Nili vndantis honos; ex cuius carmine tam me
Gloria consequitur, quam gens Arctoa sequaces
Adspicit ire vmbras, cum Sol à Virginis astro
Alternum depressus iter molitur, & intrat
Sidera sena Poli, dum Piscibus vndiq. cinctus
Exeat, at nox interea sex mensibus acta est.
Si tamen in frugem crescant vt semina primæ
Indolis, irroras precioso aspergine laudum:
O me felicem! nec enim (modo pectora Phœbus
Impleat, & doctę veniant in vota Sorores)
Ingenij segnem patiar durescere campum;
Ne bibat immissum rorē. Iāq. ORDIOR arma,
Angelicasq. acies: per mille pericula puppis
Ducitur, obijciens oculis arcana prioris
Aeui, quæ arcano vix fulmine mētis inumbres
Tu verò, exire addicti tibi Vatis amorem
Corde veta, linguaq. fauens, vt carcere in ipso
Erigis, in medio cunctantem respice cursu.

IO: BAPTISTAE LAVRI
PERVSINI
VRBANO VIII.
Ab intimo cubiculo.

SILVARVM
LIBER SECVNDVS.

Ad Excellentiss. Principem
M. ANTONIVM BVRGHESIVM
PAVLI V. EX FR. NEPOTEM.



Rauiter peccassem, Princeps humanissime, si in tanta gaudiorum, vt sic dixerim, temulentia, quę omnium animos in tuis Nuptijs nouo more lymphauit, non & ipse versiculorum aliquid effunderem, vetus Familiæ vestrę Cliens, & Cardinalis Lanthes Auunculi tui patrocinio validè obnoxius. SILVVLAM *igitur, hoc est, tumultuariam Scriptionem, vt ab occupatissimo, Tuæque amplitudinis studiosissimo profectam, tam non debes improbare, quàm ea, quę efferuescentis lętitię ebrietas peperit, despicienda non sunt, adeò & auribus auidè combibenda. Deum optimum oro, vt auspicatissimis primitijs Coniugium istuc quàm primum benè fortunet, alijsque gaudendi caussis nos in dies hilariores facti, voluptatem omnium, cum apud sapientissimum Pontificem, pro cuius longęuitate vota facimus, tum apud posteros,*

quasi

quasi voce publica testatissimam celeberrimamq. reddere possimus. Par etiam fuit ad te ire non tam quę in PONTIFICATVM *Patrui tui vndeuigesimo ab hinc anno edidimus; quàm* SACELLI *ab ipso ad Exquilias excitati descriptionem, aut* LYRICVM *in Aquam è Braccianensi agro in Vrbem inuectam, à nobis decantatum. Debui insuper* CARDINALATVM *Illustrissimi D. Scipionis Burghesij non praterire. Meorum verò carminum asperitatem nulla alia re consultius queas delenire, quàm Epigraphe sapientissimi Principis, in vestrum illud Suburbanũ quod identidẽ Vrbanitatis plenissima maiestate illustrat, elegantissimè concinnata. Vale in Vrbe.*

IN NVPTIAS

M. ANTONII BVRGHESII, ET CAMILLAE VRSINAE PRINCIPVM.

NE mea tot choreas inter, plaususq. canentũ
Cesset iners Erato: turbę permista sororũ,
En vltro residem, digitis psallentibus, arcum,
Adsociat citharæ, & votis concordibus Hymnũ
Concinit. Interea Romæ dum feruida inundant
Gaudia BVRGHESI ad thalamos, iuuenumque manipli
Vsq. calent thyasis, VRSINAQ. nomina iactãt;
Sit locus audaci plectro; quãquã improbet ausus
Nemo meos: par est, vestræ qui obnoxius Aulæ
Esse velit, vestris hunc prælusisse Theatris,
O grandes animæ, natæ felicibus annis,

Quas cōiunxit Hymē. fas est nè referre triūphos
ARNE tuos,& THYBRI tuos? longū ille Quirini
Suspirauit Herum, longum hic suspiria duxit,
Et FLORAE hærētē gremio exoptauit Alūnam;
Venturæque inhians fluctu dulcedinis altè
Obrui, & impatiens differri vota precantum,
(Nam quoties sacram supremi Antistitis Arcem
Roma gemens adijt, genibusque affusa, Nepoti
Promissosq. toros, Hymenæi & vincla poposcit?)
Ipse quoque Ausonium precibus pulsare Parētēs
Gurgite sublato, statuit; si quando recedat
Colle Quirinali, Vaticanoque propinquus,
Vicinum Turri, quæ Arx Aelia nomine dicta est;
Ille premat Pōtem. Sic peruigil excubat Amnis.
Temporis exigui mora fluxerat; agmine facto
Huc certa te lucè infers Romane Sacerdos; (ceps
Ala præit generosa Equitū, Dux, Marchio, Prin-
Aulicus illustri distinguitur ordine: lectica
In medio, Te plena ipso, quam purpura velat,
Cingitur Heluetijs; multusque hac fusus, & illac,
Vertice nudato, Pedes euolat: Ordo Senatus
Insequitur sublimis equis, spectabilis Ostro;
Infula dein simplex iter occupat: vltima pergit
Armatura leuis, dextram cui fortis obarmat
Lancea, quæ crebro numerose cuspidis ictu, (cum
Quadrupedū & volucri incessū, præstingūt opa-
Aëra, & ardenti radio Titana lacessit.
Ergo augusta aderat Patris lectica Latini,
Bysso auroq. madēs; cū flumine Thybris ab imo
Assurgit, lymphaq; humili vestigia lambens.
Incipit: ò Cœli, Terræq. arcana potestas,
Alme Pater, quonam vsque tuæ spectacula Romę
Ambiguus differs? Galloque, Italoque rogante,
Cur cessas vrgere diem, qua plenus honorum,
Exultans ex fratre Nepos, sibi fœdere sancto
Adiungat lecti, quam censu Atauisq. potentem,
Iam pridem delectu habito, quæ pulchrior esset
Italidum, Cęlo firmasti teste CAMILLAM?
Virgo quidem matura viro est, nimiumq. recessu
Conditur Etrusco, socia se Virgine quamuis
Soletur, quam coniugio propiore tumentem
Ex-

Expectat Dominã tã me minor amne Metaurus;
Quàm mea centenis antestant regna fluentis.
Tam multos igitur Tuscus,nostri æmulus,annos
Arnus victor eat? Fluuiorum & luce duorum
Fulgeat? VRSINA si des mea viscera flammæ,
PAVLE vri; si me VRSINO des flore repingi,
O me quàm placido labentem flumine cernas?
Quàm mea Chrystalli puras imitabitur ęquè(lus
Vrna atq. vnda niues?frustra vt mihi cõferat vl-
Leniter errantem Cydnum, vernisque nitentem
Frugibus Eurotam, liquidi vel fontis Enipeum.
Posthac Virgo fluã semper, numquãq. proteruus
Hospitibus sociabor Aquis. Pax læta per Vrbem
Discurrat, nunquam tumido spumosior æstu,
Effringam fœdus, firmataque iura reuellam.
Quid ꝙ & hæc Cęlũ cõnubia postulat: an non
Flauentem crinem spargens, id ab Axe Cometes
Præmonuit dudum, cum matutina ruberent
Sidera,& excirent spectantes ista Quirites
Auguria? à Cœlo tellus fœcunda marito
Germinat,& tædas præsignant Astra maritas.
Iam ripas premet vsque meas BVRGHESIVS
vnus,
Nec simili spectem sobole efflorescere multos?
Et tua nunc æui primis veneranda senectus
Obrepit metis, quæ dulcibus vsque Nepotum
Pascitur illecebris, ac, dum reminiscitur annos,
Quos ætas subduxit edax, flagrantior æuum
In Gnatis reparat, longaque propagine gentis
Fertur ad æternam,nũquam interitura,senectã.
Da veniam, si quid prolixi carminis hic sit:
Si quid aberrauit;generis, Pater optime,vestri
Errauit Pietas; quam tandem finibus æqui
Egressam, facilè excuset pro Principe Princeps.
Annuerat dictis, & Thybrim vera locutum
Laudauit PAVLAEA manus, plausuq; benigno
In Tuscos permisit iter.mora nulla. Quadrigam
Expedit, ac, præter bipedes, quos ipse biformes
Alligat, Alipedes adsunt, hinc sceptriger Ales,
Aliger inde Draco. Picti latera ardua currus
Argumẽta operũ decorãt,quæ plurima PAVLVS

Edidit,& patriam excoluit speciosius Vrbem:
Quæque tua,egregio Artificum sudata labore,
SCIPIO, vulgauit Pietas, Geniusque sub auras
Extulit, ambrosia Charitum nutritus, auorum
Pressa situ,innumerisq. annorum cōdita lustris.
Adspicias Templum Vaticana Arce refectum,
Dalmatico crustatum auro, scythicisque lapillis.
Ianigeno in cliuo PAVLAEA F. prodiga lymphæ
Vbera,marmoreo longum deducta canali.
BRACCIANENSIS Ager peperit,vexilla vbi tollit
In Superos VRSINA Domus; quæ (si omina captes)
BVRGHESI imperio non frustra protulit vndā,
Solemnem thalamis vndam, mox scripsit in ære.
Tradēdā thalamis,Roma plaudēteCAMILLAM
Perstat in auspicio PAVLVS, nomenq. Puellæ
Mirarur,nomenque suum, quod gesserat olim
Se minor, in bifida Mitra, roseoque Galero.
Adijce nascentes passim per compita riuos,
Perq. fora & plateas fontem in sublime volantē,
Spargentemq.imbres, atq. Iridis Igne nitentem.
Prata Quirinali de nomine consita; & Aedem
Illusam gemmis,auroque rigente coruscam,
Quæ sedet Exquilijs,& quæ sedet Arce Quirini.
Tum fano excisam Pacis, mira arte,Columnam;
Impositum MARIAE signum: decreta Piorum
Præmia,qui adscriptus Diuis celebratur in Orbe
Insuber, & latiæ præconib debita Matri.
Vincla aderant iniecta Pado, ferroque gementes
Suspectæ vasto, cingebant mœnia Turres.
Vergētesq.in prona gradus,quibus antrapatescūt
Romanæ Thetidis.lecta vn diq. digna Tonante,
Quæ crispata tegit melioris vena metalli,
Effinxitque Myron,tabulisque insignis Apelles.
His nouus Alcides, Senioris doctus Atlantis
SCIPIO ferre humeris pondus, sua nomina con-
Aequari iā dignus Auo: satis Appia nouit,(fert
Aurea quā vario se emblemate Tēpla coronent
Mole noua, æternis operum instaurata trophęis.
Nec cedit,quæ trans Tyberim suffulta Colūnis
Ædes Pactoli aurifera saturatur arena,
Cui

Cui rude donatus miles, sua robora præstat,
Sed maiora frequens dat robora miles Olympi.
Dein Collatinæ præter Pomęria Portæ (norum
VILLA ampli se ostentat agri, cui, quidquid ho-
Ver habet, & gremio felix Autumnus onusto
Parturit, indulget pleno ditissima Cornu
Copia: tum quidquid signorum ignota vetustas
Eruit, & quidquid pulchri concessit habendum
Naturę Ars vindex aut æmula; scilicet Hortis
BVRGHESI inspicitur clausum, semesaque saxa
Temporis ingluuie, reparant saxa altera, & omne
Non animaduerso iuuenescit marmor in auro.
Nigra etiam Thybris velatus tempora myrto,
Perspicuis postfulget aquis; ROSA nexa capillis
VRSINO se rore beat, nomenque CAMILLAE
Inscriptum, nulla gaudens non intonat hora.
Insilit in Currum dulci cura ebrius: Vmbros,
Et Latium metitur, Etruscaque abditus vnda,
Arcanam FLORAE subit indeprensus arenam.
ARNVS in occursu est, carpentaq; gemmea latè
Contemplatur ouans, & germina sparsa Rosarũ,
Plus solito blandæ Veneris perfusa cruore
Mox alterna salus. Sed enim cum sensit ituram
Septenos Nuptã ad Colles, Thybrim illicò ducit
Ad Dominã, qui suppliciter veneratus Alũnam
Clarorum Medicum, grates pro altoribus annis
Largus agit, tradique sibi rogat inclyta Romæ
Pignora; Troiugenas sic exorare Quirites,
Sic Orbis mandare Patrem. paretur. Etruscos
Nubila frons quãquã malè tinxerat; attamẽ illã
Impiger Arnus obit florum imbre, rigatq. beato
Nectare, dein lapidum preciosa merce coronat.
Pax oris tranquilla micat, triplexque serena
Nat sub frõte Charis, comit Venus alma capillũ;
Ridentes oculi speculæ censentur Amorum.
Exsilit ad Romæ nomen, sanctumq. Parentem,
Gentilesque suos. Sponsi super omnia mentem
Cogitat, & castos Hymenæus subijcit ignes.
Ausonio se se committit protinus Amni,
Musarum quam tota cohors comitatur euntem,
Quæ teneros annos formauit, & artibus auxit;

Queis, alijs præstans, fas splendeat Heroina.
Cui metuens Thybris, ne tantæ Græcia formæ
Miratrix, Italis ea pignora subtrahat oris;
Imperat à Fratre abduci, quem Mart'a Virtus
Armisonis fastis sic Iani adscribat aperti;
Vt pacem bellator amet, Galeæque comanti,
Et rigidis oleas inserpere gaudeat hastis.
Porrò in digressu florentes vndique Nymphæ,
E madido gratum stillantes nectar ocello;
I, dixere, hilaris, quo te felicibus auris
Fata afflata vocant. Solium tibi sternitur aureum
Romuleos supra Colles, vbi triplice Mitra
Conspicuus senior, teloque tricuspide fultus.
Astrorumq. Erebiq. plagas moderatur, & Orbis,
Ille immortales, nunquam tibi parcus, ab Astris
Indulgebit opes, dabit & sub cardine Cœli,
Mortales quæ prima putant; maiorque feretur
Fama tui decoris, quàm quæ decorauerit olim
Cyprim, Helenam, & ductam Volscorũ è stirpe Camillã.
Nec verò nostri capiát te obliuia, mẽti(
Stent impressa tuæ nostræ vestigia mentis:
Quisquis amat, petit alterni sibi pignus amoris:
Talia dum memorant, visuq. sequuntur eũtes;
Carpit vterque viam: reduci gratatur vtrique
Romulus. Aestiuos violenta Canicula menses
Exedit, & Sole ambustæ iugulantur aristæ.
Autumni reuocatur honor; Pomona racemos
Ventilat aureolos, Iatialis Diua latinis
Læta fauet Ducibus; quæ, ceu fœcundior anni
Tempestas aperit grauidum nubentibus annum;
Sic ait, ò Magni Heroës, certissima prolis
Spes hinc proludit vobis. certabitis ergo
Aeternum proferre genus; Tua MARCE, perenni
Vt soboles de fonte fluat, cui solis ab alta
Sede frequẽs procedat honor: velut aureus in Te
Depluit, irrorans donis cœlestibus Aether,
Et cognata suas gignunt Tibi sidera messes.
Adsit Hymen votis, & connubialia iura
Iuppiter æterno constringat fœdere: nec Vos,
Quæ calcare solet Rerum diademata Roma
Vna colat; tantùm aut Ciuis Sulmonis aquosi,

Mu-

Municipesq. alij, quãdo Oppida plurima sceptro
Per Latium regitis, vos prono vertice adorent:
Sed larga annona, Natis hinc vsque creandis
Fascibus accedant Fasces, atque Vrbibus Vrbes.

AVSPICIA PONTIFICATVS
PAVLI QVINTI.

DVm Cæli per templa furit, rabidumq. Leonẽ
Prouocat, accensi veniens à limite Cancri
Phœbus, & incumbit terris propiore quadriga:
Teq. remittentem curas, grauioraq. rerum
Pondera, clamosæ melior plaga subtrahit Vrbi.
Lenis ades rudibus, precor ô, Pater optime, cæptis.
Ab Ioue principium; si quis Iouis atria cantet;
Si quis Apollineas Arces; ab Apolline cantus
Inchoet: at qui PAVLÆAS meditatur ad aras
Carmina; PAVLÆIS numen sibi sumat ab aris.
Forte niger liquidos aër resolutus in imbres,
Digressum Romæ septeno à vertice Amyntam,
Compulerat vacui succedere cautibus antri,
Etrusci qua parte soli stupefactus arator
Vidit ab inuersa natum tellure Tagetem,
Fatidico ambiguas referantem carmine sortes:
Dumq; sibi madidas horrenti à corpore vestes
Detrahit, & saxis humentibus incubat, Irin
Opperiens, pluuios quæ potet ab aëre nimbos:
Ecce rudis tuguri Dominum Polydæmona, eadẽ
Pulsum hyeme, assueto recipit spelunca recessu,
Et comitem adiungit Iuueni. per mutua postquã
Verba, alterna salus accepta, & reddita vtrimq.
His orsus senior Polidæmon. Frigida quãdo (est;
Mundi claustra sonant, & aquoso turbine Cęlũ
Soluitur, interea tegetis requieuimus vmbra:
Fare, hospes, qua terrarum regione profectus
Huc iter intendis? quod si sacrata Quirini
Mœnia, & incinctas à Thybride deseris Arces:
Dic mihi, in Vndecimũ postquã fera fata Leonẽ
Irruerunt, Latio dum pro Pastore laborant

Phœbus in occiduam Calpem si tēdat, aquosis
Tethyos vadosæ non excludendus ab antris;
Succedit, latè obscuros quæ illuminet Axes,
Albo inuecta iugo, fraternis æmula flammis
Cynthia: si verò concedat & ipsa serenis
Tractibus, & dubiam media inter sidera noctem
Deserat; ah quantum niuei nox illa coloris
Perdiderit, quantus damnauerit æthera pallor!
Hinc Aldobrandi me Principis ore carentem,
Qui mihi Solaris clypei fuit instar, at ore
Inde tuo tristes abigentem corde tenebras,
Qui nostram irradias Lunari lampade noctem,
Longe aliò migrans, quā cæca in nube relinquis!
Saltem prædulci soletur imagine frater.
Exemploq. tui, referat te, qui mihi vultu
Reddis Auos, Atauosq. & magnis dotibus imples
Hinc Albertia dem, Fidei munimen, Erasmon
Comminus aggressum, propulsantemq. latentes
Errorum nebulas, quas passim callidus hostis,
Spargebat, placidis immiscens tristia dictis,
Oris dānādū stygijs caput. Inde RODVLPHVM
Carporum decus, ostrinis qui fascibus auctus,
Egregiusq. animi, ternis radiare coronis
Dignior, extinctiq. oneri succedere Atlantis;
Ah plures in luce moras si fata dedissent.
Quid referā expressos vel mente, vel oris honore
Antiqua quotquot numeras ab origine Picos?
Præcipue patria egressum quē sede IOANNEM,
Quà formidatos Mirandula prospicit Histros,
Quàq. Deo vndarum Ferraria cingitur amni,
Thuscorum Medicum Florentia regna petentē,
Non semel hospitio excepi, donisq; beatæ
Florentem sophię, non vna in parte loquentem
Audij. An arcanæ præcordia mentis operta
Lege Sophos, tacitòue regat Prudentia nexu;
An genijs cognata Deum, vis altior almo
Te operet influxu, nullamq. hinc adferat Astris
Esse fidem, totoq. abigat præsagia Cœlo.
Sed delirare Astronomos, non conscia fati
Sidera securo mortalia voluere casu;
Frustra sollicitis hominem consumier annis,

Tot

Torqueriq. metu, falsęq. cupidine fortis.
Et quem fatidicas vellentem funditus artes,
Excipiunt magni memoranda Genethlia mũdi,
Septeniq. dies. Sed enim nec grande referre
Ingenium, canæq. vacat decora ampla Iuuentæ;
Cui cedat, si quem sanctis fastosa Vetustas
Euocet Elysijs. Trinacria scilicet ipsum
Gorgiam tacuisse velit, licet abdita cordis
Olli Phœbeo caleant de numine, & vndas
Hauserit Aonidum, mirandaq. gentibus ausus,
Vel quemcumq. Virum plenis in bella vocarit
Auspicijs, veraq; animum solidante Minerua,
Prębuerit doctis imperuia pectora telis.
Ast illi ne quis certet; siue vbere largo
Se se Socraticis, Chrysipęisq. fluentis
Lauerit; ætherij aut passus momenta Platonis;
Naturam, ambiguis imitantem Protea formis,
Secreto intuitu penetrauerit; omnia latè
Calleat, Ausonijs inuenta, exculta Pelasgis.
Quidquid Arabs, quidquid Chaldæo in vertice pernox
Astrologus, Solymiq. legit plaga sanctior orbis.
Atq. hunc æquari à quoquam si fata negarũt;
At queis ferre datum propius vestigia, tantum
Alter, & alter adest. Tu æui FRANCISCE prioris
Lumen: Tu nostris venerandum sidus in annis
CAROLE; cui varia differtum Pallade pectus,
Visq. Animę triplex; & quæ cognata Deorum
Cętibus, æterno prudens spatiatur Olympo;
Quæ inferior, laqueis virtutum assueta ligari,
Pessum corporeo non fertur perdita luxu;
Quæque vices rerum nata est perferre, suoq.
Ambigit ingenio, tendatnè huc prona, vel illuc
Inter vtramq. manens, nõ in te incerta, sed vsq.
Præcellens, Regina sui, quæ subiacet infra;
Insurgentẽ animam per dissona vincla reuincit,
Et cogit parere sibi, mentisq. supernæ
Munus, ad arcani sensa exploranda Tonantis
Colligit; adde omnes generosi pectoris artes,
Quot nec purpureos Cœlo numeraueris ignes;
Quot nec Erythręa gemmas numeraueris vnda,

Cardineũ te ad syrma trahũt;hæc omnia ruptis
Herculis inuicti conchis, tibi tegmina, & altum
Verticis irrorant crinem, claroq. rubentem
Sidere, perpetuam Fidei dant scandere puppim;
Et iam non dubio Proretam cernere visu,
Arctoasque plagas, CLEMENTIAQ. ASTRA
notantem.
Vade autem, ne forte morer tua tempora; læto
Luminis indicio, quo nunc tibi ridet Olympus,
Vtere: te dulci Zephyrus comitabitur aura;
Chloridos & lectas Hortis Violasq. Rosasq.
Ingeret in faciem, fragranti sparget Amomo
Quadrupedem, ac Phœbi assuetæ curare iugales
Horæ aderunt, fessum cælesti nectare alentes;
Et vires instaurabunt: tum Cyllarus illi
Segnis, collatusq. piger dicetur Arion.
I felix, nostriq. memor; quosq. agmine longo
Insensata Domus, tibi tempus in omne clientes
Seruat, ab interno prohibe discedere sensu.
Ante alios, quæ primæuas à vertice frondes
Inflectit Laurus; viuaxq. insumere robur
Rore tuo sperat; quo per te educta, tuisq.
Alta sub auspicijs (si fas) non horreat olim
Exornare tuos laudum diademate crines.
Hæc ait, & pronum submittit ad oscula
Gryphum:
Soluentemq. moras, & Equi spumantis habenas
Laxantẽ insequitur, qua Augusta potentia cumq.
Panditur, Ausonias certus qua ducit in oras
Trames, & impostam septenis collibus Vrbem.

AD HORATIVM LOMBARDELLIVM
Eucharisticon.

PRO ELOGIO AD ÆGYPTIADEN.

CLaudebant rigidam Neptunia sidera Brumã,
Cum mihi, Saturni vel Epistola tardior orbe
Orta

Redditur, infantis referens encomia Musæ:
Abs te autē, quem Fama ingēs latuisse Senarum
Finibus haud passa est; sed qua ligat Anguis vtramque
Arcton, qua sicco violentior æstuat igne,
Stellatamq. Crucem contrarius indicat Axis;
Quaq; diem premit, & promit Nereia coniux,
Aeternùm florere dedit, studioque perenni
Sacrauit spatijs nunquam cessantibus Aeui.
Ecquid (vbi inspecta est sapientis littera dextræ)
Scribor ego nostri clarissima lumina sæcli
Inter, & assuetus tenebris, primęue Camenæ
Forte Genethliacon celebrans cū funere, reddor
Exemptus tenebris, aliorum & funera ridens,
Per te in perpetuam calamo transmittor honore,
Lombardelle, diem? Porro si viuimus, & si
Non occasuris in sęcula laudibus imus,
Vt munus, Vir magne, tuum, sic & tua laus est,
Nili vndantis honos; ex cuius carmine tam me
Gloria consequitur, quam gens Arctoa sequaces
Adspicit ire vmbras, cum Sol à Virginis astro
Alternum depressus iter molitur, & intrat
Sidera sena Poli, dum Piscibus vndiq. cinctus
Exeat, at nox interea sex mensibus acta est.
Si tamen in frugem crescant vt semina primæ
Indolis, irroras precioso aspergine laudum:
O me felicem! nec enim (modo pectora Phœbus
Impleat, & doctę veniant in vota Sorores)
Ingenij segnem patiar durescere campum;
Ne bibat immissum rorē. Iāq. ORDIOR arma,
Angelicasq. acies: per mille pericula puppis
Ducitur, obijciens oculis arcana prioris
Aeui, quæ arcano vix fulmine mētis inumbres
Tu verò, exire addicti tibi Vatis amorem
Corde veta, linguaq. fauens, vt carcere in ipso
Erigis, in medio cunctantem respice cursu.

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI

VRBANO VIII.
Ab intimo cubiculo.

SILVARVM
LIBER SECVNDVS.

Ad Excellentiss. Principem
M. ANTONIVM BVRGHESIVM
PAVLI V. EX FR. NEPOTEM.



Rauiter peccassem, Princeps humanissime, si in tanta gaudiorum, vt sic dixerim, temulentia, quę omnium animos in tuis Nuptijs nouo more lymphauit, non & ipse versiculorum aliquid effunderem, vetus Familiæ vestrę Cliens, & Cardinalis Lanthes Auunculi tui patrocinio validè obnoxius. SILVVLAM *igitur, hoc est, tumultuariam Scriptionem, vt ab occupatissimo, Tuæque amplitudinis studiosissimo profectam, tam non debes improbare, quàm ea, quę efferuescentis lętitię ebrietas peperit, despicienda non sunt, adeò & auribus auidè combibenda. Deum optimum oro, vt auspicatissimis primitijs Coniugium istuc quàm primum benè fortunet, alijsque gaudendi caussis nos in dies hilariores facti, voluptatem omnium, cum apud sapientissimum Pontificem, pro cuius longęuitate vota facimus, tum apud posteros,*

quasi

quasi voce publica testatissimam celeberrimamq. reddere possimus. Par etiam fuit ad te ire non tam quę in PONTIFICATVM *Patrui tui vndeuigesimo ab hinc anno edidimus; quàm* SACELLI *ab ipso ad Exquilias excitati descriptionem, aut* LYRICVM *in Aquam è Braccianensi agro in Vrbem inuectam, à nobis decantatum. Debui insuper* CARDINALATVM *Illustrissimi D. Scipionis Burghesij non praeterire. Meorum verò carminum asperitatem nulla alia re consultius queas delenire, quàm Epigraphe sapientissimi Principis, in vestrum illud Suburbanũ quod identidẽ Vrbanitatis plenissima maiestate illustrat, elegantissimè concinnata. Vale in Vrbe.*

IN NVPTIAS
M. ANTONII BVRGHESII,
E T
CAMILLAE VRSINAE
PRINCIPVM.

NE mea tot choreas inter, plaususq. canentũ
Cesset iners Erato: turbę permista sororũ,
En vltro residem, digitis psallentibus, arcum
Adsociat citharae, & votis concordibus Hymnũ
Concinit. Interea Romae dum feruida inundant
Gaudia BVRGHESI ad thalamos, iuuenumque manipli
Vsq. calent thyasis, VRSINAQ. nomina iactãt;
Sit locus audaci plectro; quãquã improbet ausus
Nemo meos: par est, vestrae qui obnoxius Aulae
Esse velit, vestris hunc praelusisse Theatris,
O grandes animae, natae felicibus annis,

Quas cōiunxit Hymē. fas est nè referre triūphos
ARNE tuos, & THYBRI tuos? longū ille Quirini
Suspirauit Herum, longum hic suspiria duxit,
Et FLORAE hærētē gremio exoptauit Alūnam;
Venturæque inhians fluctu dulcedinis altè
Obrui, & impatiens differri vota precantum,
(Nam quoties sacram supremi Antistitis Arcem
Roma gemens adijt, genibusque affusa, Nepoti
Promissosq. toros, Hymenæi & vincla poposcit?)
Ipse quoque Ausonium precibus pulsare Parētēs
Gurgite sublato, statuit; si quando recedat
Colle Quirinali, Vaticanoque propinquus,
Vicinum Turri, quæ Arx Aelia nomine dicta est:
Ille premat Pōtem. Sic peruigil excubat Amnis.
Temporis exigui mora fluxerat; agmine facto
Huc certa te luce infers Romane Sacerdos; (ceps
Ala præit generosa Equitū, Dux, Marchio, Prin-
Aulicus illustri distinguitur ordine: lectica
In medio, Te plena ipso, quam purpura velat,
Cingitur Heluetijs, multusque hac fusus, & illac,
Vertice nudato, Pedes euolat: Ordo Senatus
Insequitur sublimis equis, spectabilis Ostro;
Infula dein simplex iter occupat: vltima pergit
Armatura leuis, dextram cui fortis obarmat
Lancea, quæ crebro nūmerosę cuspidis ictu, (cum
Quadrupedū & volucri incessu, præstingūt opa-
Aëra, & ardenti radio Titana lacessit.
Ergo augusta aderat Patris lectica Latini,
Bysso auroq. madēs, tū flumine Thybris ab imo
Assurgit, lymphaq; humili vestigia lambens.
Incipit: ò Cœli, Terræq. arcana potestas,
Alme Pater, quonam vsque tuæ spectacula Romę
Ambiguus differs? Galloque, Italoque rogante,
Cur cessas vrgere diem, qua plenus honorum,
Exultans ex fratre Nepos, sibi fœdere sancto
Adiungat lecti, quam censu Atauisq. potentem,
Iam pridem delectu habito, quæ pulchrior esset
Italidum, Cęlo firmasti teste CAMILLAM?
Virgo quidem matura viro est, nimiumq. recessū
Conditur Etrusco, socia se Virgine quamuis
Soletur, quam coniugio propiore tumentem
Ex-

Expectat Dominā tā me minor amne Metaurus;
Quàm mea centenis antestant regna fluentis.
Tam multos igitur Tuscus, nostri æmulus, annos
Arnus victor eat? Fluuiorum & luce duorum
Fulgeat? VRSINA si des mea viscera flammæ,
PAVLE vri; si me VRSINO des flore repingi,
O me quàm placido labentem flumine cernas?
Quàm mea Chrystalli puras imitabitur æquè(lus
Vrna atq. vnda niues? frustra vt mihi cōferat vl-
Leniter errantem Cydnum, vernisque nitentem
Frugibus Eurotam, liquidi vel fontis Enipeum.
Posthac Virgo fluā semper, numquāq. proterua
Hospitibus sociabor Aquis. Pax læta per Vrbem
Discurrat, nunquam tumido spumosior æstu,
Effringam fœdus, firmataque iura reuellam.
Quid ꝙ & hæc Cęlū cōnubia postulat: an non
Flauentem crinem spargens, id ab Axe Cometes
Præmonuit dudum, cum matutina ruberent
Sidera, & excirent spectantes ista Quirites
Auguria? à Cœlo tellus fœcunda marito
Germinat, & tædas præsignant Astra maritas.
Iam ripas premet vsque meas BVRGHESIVS
vnus,
Nec simili spectem sobole efflorescere multos?
Et tua nunc æui primis veneranda senectus
Obrepit metis, quæ dulcibus vsque Nepotum
Pascitur illecebris, ac, dum reminiscitur annos
Quos ætas subduxit edax, flagrantior æuum
In Gnatis reparat, longaque propagine gentis
Fertur ad æternam, nūquam interitura, senectā.
Da veniam, si quid prolixi carminis hic sit:
Si quid aberrauit, generis, Pater optime, vestri
Errauit Pietas; quam tandem finibus æqui
Egressam, facilè excuset pro Principe Princeps.
Annuerat dictis, & Thybrim vera locutum
Laudauit PAVLAEA manus, plausuq; benigno
In Tuscos permisit iter. mora nulla. Quadrigam
Expedit, ac, præter bipedes, quos ipse biformes
Alligat, Alipedes adsunt, hinc sceptriger Ales,
Aliger inde Draco. Picti latera ardua currus
Argumēta operū decorāt, quæ plurima PAVLVS
 Edidit,

Edidit,& patriam excoluit speciosius Vrbem.
Quæque tua,egregio Artificum sudata labore,
SCIPIO, vulgauit Pietas, Geniusque sub auras
Extulit, ambrosia Charitum nutritus, auorum
Pressa situ,innumerisq. annorum cõdita lustris.
Adspicias Templum Vaticana Arce refectum,
Dalmatico crustatum auro, scythicisque lapillis.
Ianigeno in cliuo PAVLAEAE prodiga lymphæ
Vbera,marmoreo longum deducta canali.
BRACCIANENSIS Ager peperit,vexillavbi tollit
In Superos VRSINA Domus; quæ (si omina captes)
BVRGHESI imperio non frustra protulit vndã,
Solemnem thalamis vndam, mox scripsit in ære.
Tradẽdã thalamis,Roma plaudẽteCAMILLAM
Perstat in auspicio PAVLVS, nomenq. Puellæ
Miratur,nomenque suum, quod gesserat olim
Se minor, in bifida Mitra, roseoque Galero.
Adijce nascentes passim per compita riuos,
Perq. fora & plateas fontem in sublime volantẽ,
Spargentemq.imbres, atq. Iridis Igne nitentem.
Prata Quirinali de nomine consita; & Aedem
Illusam gemmis,auroque rigente coruscam,
Quæ sedet Exquilijs,& quæ sedet Arce Quirini.
Tum fano excisam Pacis, mira arte,Columnam;
Impositum MARIAE signum: decreta Piorum
Præmia,qui adscriptus Diuis celebratur in Orbe
Insuber, & latiæ præconib debita Matri,
Vincla aderant iniecta Pado, ferroque gementes
Suspectu vasto, cingebant mœnia Turres.
Vergẽtesq.in prona gradus,quibus antrapatescũt
Romanæ Thetidis.lecta vndiq. digna Tonante,
Quæ crispata tegit melioris vena metalli,
Effinxitque Myron,tabulisque insignis Apelles.
His nouus Alcides, Senioris doctus Atlantis
SCIPIO ferre humeris pondus, sua nomina con-
Aequari iã dignus Auo: satis Appia nouit,(fert
Aurea quã vario se emblemate Tẽpla coronent
Mole noua, æternis operum instaurata trophęis.
Nec cedit,quæ trans Tyberim suffulta Colũnis
Ædes Pactoli aurifera saturatur arena,
Cui

Cui rude donatus miles, sua robora præstat,
Sed maiora frequens dat robora miles Olympi.
Dein Collatinæ præter Pomęria Portæ (norum
VILLA ampli se ostentat agri, cui, quidquid hoVer habet, & gremio felix Autumnus onusto
Parturit, indulget pleno ditissima Cornu
Copia: tum quidquid signorum ignota vetustas
Eruit, & quidquid pulchri concessit habendum
Naturę Ars vindex aut æmula; scilicet Hortis
BVRGHESI inspicitur clausum, semesaque saxa
Temporis ingluuie, reparant saxa altera, & omne
Non animaduerso iuuenescit marmor in auro.
Nigra etiam Thybris velatus tempora myrto,
Perspicuis postfulget aquis; ROSA nexa capillis
VRSINO se rore beat, nomenque CAMILLAE
Inscriptum, nulla gaudens non intonat hora.
Insilit in Currum dulci cura ebrius: Vmbros,
Et Latium metitur, Etruscaque abditus vnda,
Arcanam FLORAE subit indeprensus arenam.
ARNVS in occursu est, carpentaq. gemmea latè
Contemplatur ouans, & germina sparsa Rosarũ,
Plus solito blandæ Veneris perfusa cruore:
Mox alterna salus. Sed enim cum sensit ituram
Septenos Nuptã ad Colles, Thybrim illicò ducit
Ad Dominã, qui suppliciter veneratus Alũnam
Clarorum Medicum, grates pro altoribus annis
Largus agit, tradique sibi rogat inclyta Romæ
Pignora; Troiugenas sic exorare Quirites.
Sic Orbis mandare Patrem. paretur. Etruscos
Nubila frons quãquã malè tinxerat; attamẽ illã
Impiger Arnus obit florum imbre, rigatq. beato
Nectare, dein lapidum preciosa merce coronat.
Fax oris tranquilla micat, triplexque serena
Nat sub frõte Charis, comit Venus alma capillũ;
Ridentes oculi speculæ censentur Amorum.
Exsilit ad Romæ nomen, sanctumq. Parentem,
Gentilesque suos. Sponsi super omnia mentem
Cogitat, & castos Hymenæus subijcit ignes.
Ausonio se se committit protinus Amni,
Musarum quam tota cohors comitatur euntem,
Quæ teneros annos formauit, & artibus auxit;

Municipesq. alij, quãdo Oppida plurima ſceptro
Per Latium regitis, vos prono vertice adorent:
Sed larga annona, Natis hinc vſque creandis
Faſcibus accedant Faſces, atque Vrbibus Vrbes.

AVSPICIA PONTIFICATVS
PAVLI QVINTI.

DVm Cæli per templa furit, rabidumq. Leonẽ
Prouocat, accenſi veniens à limite Cancri
Phœbus, & incumbit terris propiore quadriga:
Teq. remittentem curas, grauioraq. rerum
Pondera, clamoſæ melior plaga ſubtrahit Vrbi.
Lenis ades rudibus, precor ò, Pater optime, cœptis.
Ab Ioue principium; ſi quis Iouis atria cantet;
Si quis Apollineas Arces, ab Apolline cantus
Inchoet: at qui PAVLÆAS meditatur ad aras
Carmina; PAVLÆIS numen ſibi ſumat ab aris.
Forte niger liquidos aër reſolutus in imbres,
Digreſſum Romæ ſepteno à vertice Amyntam,
Compulerat vacui ſuccedere cautibus antri,
Etruſci qua parte ſoli ſtupefactus arator
Vidit ab inuerſa natum tellure Tagetem,
Fatidico ambiguas referantem carmine ſortes:
Dumq; ſibi madidas horrenti à corpore veſtes
Detrahit, & ſaxis humentibus incubat, Irin
Opperiens, pluuios quæ potet ab aëre nimbos:
Ecce rudis tugurî Dominum Polydæmona, eadẽ
Pulſum hyeme, aſſueto recipit ſpelunca receſſu,
Et comitem adiungit Iuueni, per mutua poſtquã
Verba, alterna ſalus accepta, & reddita vtrimq.
His orſus ſenior Polidæmon. Frigida quãdo (eſt;
Mundi clauſtra ſonant, & aquoſo turbine Cęlũ
Soluitur, (interea tegetis requieuimus vmbra:
Fare, hoſpes, qua terrarum regione profectus
Huc iter intendis? quod ſi ſacrata Quirini
Mœnia, & incinctas à Thybride deſeris Arces:
Dic mihi, in Vndecimũ poſtquã fera fata Leonẽ
Irruerunt, Latio dum pro Paſtore laborant

Cardinei Patres, quid tandem Romula in Vrbe
Contigit? Ecquã Auiũ Reginã, ecquẽue Draconẽ
Commemorant? porro dubijs auctoribus isthec
Nobis vox hesterna refert. Quod si indice vero
Talia rescierim; quàm me certi omina Olympi
Pãdentẽ, & Thusci reuocantem inuẽta magistri,
Quid rerũ Deus admoneat, quidue astra minẽtur,
Audieris? nec enim simplex mihi linea nomen
Debet; origo Tages; olim hos adit impiger agros
Vel Romanus Eques. subdit lætatus Amyntas.
Credo equidẽ, Superis ducibus nũc me antra
Fatidico possessa seni. nãq; vna potenter (subisse
Hæc animo cura incubuit, camposq. repente
Tendere in Etruscos, nullo remorante, coëgit.
Et certè prænosse Polos, consultaq. fati
Sidera, qui sermo Volucrum per turbida Cęli
Nubila, ab obscura nascentis origine mundi,
Cordi insedit amor. quem non spes certa futuri
Torqueat? arcanos quis non inquirat in Axes?
Tum magis, aduersos rebus eum dissona partus
Excludit Natura sagax, aciemq. tuentum
Ludit, & ignari pertentat pectora vulgi.
Scilicet vt iunctis coëant in fœdera palmis,
Exercet quos pugna frequens, siue vngue retorto
Prouocet effusi liuentia terga Draconis
Præpes adunca Iouis; siue aëre comminus ipso
Hæc rostro, spiris caudaq. venenifer ille
Insurgant, dubioq. diu certamine pugnent;
Non isthæc miranda Vrbi? discrimine nullo
Cum trahit excubias, & denso milite Thybrim,
Et Vaticanas adseruat peruigil Arces?
Hæc & plura mihi noctis conspecta per vmbras,
Dũ somnos mens alta bibit, narrare quis vmquã
Abnuerit, cui cuncta patent, qui clausa tenebris
Auguria ad lucem referat, fatumq. reuelet?
Tum Senior, placidis narratibus otia, dixit,
Exige, adhuc Cęlo violentior effluit imber;
Nec mihi maluerim, rapidi quæ Solis in æstu
Dulci lympha sono, scopulo descendit ab alto.
Incipit, ac paucis memorat sua somnia. Iã Nox
Impulerat fessum Tartessia in æquora Phœbum;
Septe-

Septenos cum supra orbes, qua mille Phalanges
Astrorum effulgent, gemmasq. ostẽtat Olympus.
Visa mihi è niueis cuneis, radiata noueno
Sidere, conspicuas librasse per æthera pennas
Alituum Regina, Lycaonijsq. repente
Insedisse locis, geminas vbi circuit Arctos
Axe sub algenti, facies metuenda Draconis.
Huius stellifero consedit vertice, partes
Vngue premẽs Scythicas, prospectans ore calẽtes
Austrina sub luce plagas, complectitur alis
Nascentem pariter Solem, pariterq. cadentem.
Gauisa auspicio cælestis machina, lumen
Purius infudit terris, sociæq. cohortes
Astrorum, pleno choreas duxere Theatro.
Atq. ea flammifero noctis miranda sub axe,
Sensibus excussis, ac somni nube remota,
Luce palam media, populo spectante Quirini,
Affulsere vltro, vidiq. innasse per auras
Pellucentem Aquilam, fuluũq. adijsse Draconẽ;
Qua Latios colles, inconcussasq. tuetur
Aligero Michaël stipatus ab agmine turres.
At quid mõstra velint, quid tãta per omina Cęli
Nunciet; an Petri sanctam cui scandere Puppim
Detur; an Hungaricam proles Maumetia gentẽ
Immineat, dubium est, nobis nec noscere prõptũ.
Ille autem, nulla dictorum ambage moratus.
Fas, inquit, reserare dies, queis conscius æther
Arridet, magnosq. parat fors læta triumphos.
Ac primũ si quem rerum molimina, si quem
Sceptra vocent, maneantq. vtroq. à cardine mũdi
Certatim Laurus, præsagia sacra Draconis
Certus habet. Nẽpe hinc Latij lux inclyta Cęsar
Imperium terris, animos æquauit Olympo.
Nempe Draconario florentia milite castra,
Apta truci gladio fortes perfringere turmas,
Purpureis dederunt insignia sceptra Tyrannis.
Iunge Aquilam, felix omen, victorq. futurus;
Hostis ab auspicio quisquis grassetur in hostes.
Hinc caliganti damnat Titanas Auerno
Iuppiter, aërij felix regnator Olympi.
Hac duce, Bebryacæ perfusus sanguine pugnæ
Vespa-

Vespasiane, refers palmas; Bactra vltima, Persas
Obruit Emathij Regis fortuna, verendum
Dario fugiente caput; dignasq. relatu
Concipe Romanas Aquilas. sed & ætheris oras
Regnandas, superaq; diem despondet in aula.
Adijce magnanimæ regalia munera mentis,
Immenso vulganda Orbi, quacumq. labore
Phœbus ab alterno bissena per astra recurrit.
Quo tamen hæc? porro præsagia rere futuri
Præsidis, Ausonias nutu qui temperet arces,
Et toti referat ridentia sæcula mundo,
Indulgens Pacem populis, atq. Otia Musis.
Idem Romano generosus Marte per arma
Irruat intrepidus Thracum, cogatq. fugatum
Maumethē trans Caucaseas procul ire latebras.
Pannonios etiam tractus, Curtamq. potentem,
Danubij metas, positasq. in littore gentes
Vindicet ense ferox; iubeatq. ornata coronis
Tempora oliuiferis propius pax occupet omnē
Europam, cui Relligio comes addita, fœdas
Dissipet Hæreseon pestes, quascumque furenti
Styx peperit truculenta vtero, iuriq. Latino
Pareat, à vero quisquis longè auius errat
Tramite. Quem vero hūc dicas, quē tanta manet
Collige Cardineos titulos, illustria Patrū (sors?
Stemmata, metire hæc animo. BVRGHESIVS ille
Rerum optata quies, Italæ spes vnica terræ, (est,
Cui premit aligerum Volucrū Regina Draconē.
Cui collecta sinu Fati vis ardua donat,
Quæcumq. ab summo defert sapientia Cœlo;
Et quæ munificò cohibet bona copia Cornu.
O nimium dilecte Deo, cui claue potenti
In triplices dat iura plagas Barionius heros,
Nominis & placidi parat omen Paulus, & ensem
Fulmineum: per te pessum feralia Thracum
Arma ruent, Turcasq; feros, lōgum hospita, Luna
Deseret; & certè modo mens ita suadeat, vltro
Iuerit Austriades iuratus in arma Philippus;
Iuerit Henricus, tota est quo sospite sospes
Gallia, nec Venetus Leo deerit; curret vterq;
Axis, & ipsa suam defendent Numina caussam
Crede

Crede quoq; auguſtis felicia tempora Muſis
Afflicto reditura Orbi; quaſq. ambitus artes
Preſſerat, & putris reuocaſſet mole ſepulchri,
Ordine ab vndeno noſtros tranſmiſſus in annos
Magnanimo pius ore LEO, ni triſtè furens Mors
Ægro inuidiſſet Medicum; reuocabit in auras
More tuo, Aſclepi quibus & ſua præmia largus
Refferet, æterno dilapſus ab æthere PAVLVS.
Interea lætas dum carmine ducimus horas,
Certaq; veridicis aperimus fata loquelis;
Nubila rareſcunt pluuijs, quiq. eſt ſuper imber.
Multicolor ſicco Thaumantias imbibit arcu;
I propere, in trepidam confer tua gaudia Romã,
Maternoſq. oculos affla meliore iuuenta.
Pande omen, plenoq; refer BVRGHESION ore,
Atq. adſcenſurum Capitolia ſacra CAMILLVM;
Echo adſcenſurum Capitolia ſacra CAMILLVM
Ingeminet, plenoq. iteret BVRGHESION ore.
Hæc tantum. emerſum vitreis Anienen ab antris
Cæruleum Thybrim, ſeptemq. ex ordine colles,
Sponte ſua PAVLI merita in præconia euntes,
Adſpicies; Cęlos ſpoliarit & ipſe nouenos
Rex Superum, Muſaſq. nouem conceſſerit Orbi,
Quæ PAVLI noua regna canant, paſſimq. per Vr-
Longe latifluũ quæ ſpectant Nerea, pãdant (bes,
Gaudia, venturo lætentur vt omnia ſæclo.
Dixerat. ille loco exſiluit, tuniciſq. reſumptis
Ocyor & Zephiris, actaq. e nubibus igni,
Limite ab Etruſco Latias contendit ad Arces.

SACELLVM PAVLINVM
In Exquilijs.

CReſcit honos Vrbis, Romanaq. gloria Colles
Transuolat Auſonios, & quæ decora vndiq.
Imperio PAVLI liquidas educta ſub auras (fulgẽt
Exæquant, ſuperantq. fidem. Paſſu hæret in ipſo
Hoſpes, & ingentes miratur ſurgere turres,
Immaneſq. aulas, queis Petri Templa pateſcunt
Laxius, & grandi priſca atria mole fatigant.
Sed magis Exquilijs plantas vbi fixit, & Ædem
Maio

Maioris MARIÆ subijt, circumq. rotato
Lumine PAVLINVM vidit radiare Sacellum.
Hoc oculos mentemq. rapit, plenamq. tuentum
Occupat ingluuiem. fulgens exuberat aurum,
Qua fornix, qua murus adest, atq. agmina latè
Densa Colūnarum, quaq. Angelus excubat alta
Luce madēs: tum gemmarum nitet aureus ordo,
Et lapidum preciosa seges: ceu fuderis illuc
Diuitias Pactole tuas, fluctusq. beatos. (tes
Herme, atq. Inde tuos, Nomadesq. & Dalmata cau
Certarint cumulare suas, vt nobile Templum
Nunc primum, ac sæclis facerent insigne futuris.
Quid Tabulas, rerum miris hinc inde figuris
Spectandas, quid signa loquar spirantia? quorū
Sidere Lysippus, pariter liuescat Apelles?
Nō veterū capiāt me pulchra emblemata, nō me
Niligenum moles, me non opulenta Corinthus.
Laus ea sit Romæ, nulli concedere Regum
Imperio, nulla Templorum lampade vinci.
Ludes Artificum dextras, operumq. colores:
Qui tam multa sagax inuenerit, illius ingens
Laudes ingenium; fieri qui singula solo
Præcepit nutu, ditemq. impenderit arcam
Virginis in laudem, super omnes laude corones.
Sed liber implexus, multaq. ambage volutus
Implicet errantem per spectra sequacia mentem,
Ni tibi sim Theseus; neq. tu me Thesea noris,
Ni, quæ per speciem latio fulsere Parenti,
Nuntia Delubri, Mariæ ipsa in Sede locandi,
Nota forēt: cape dicta imis mea sēsibus, Hospes.
Forte Quirinali decedens vertice, quadam
Luce Pater Fidei, totiusq. arbiter Orbis
PAVLVS, ad Exquilias stipatus milite multo
Flexit iter, Templumq. adijt, quod (Sole furentē
Inflāmante Canem) Nix pinxit ab æthere labēs.
Processit. Dominæ supplex ante ora recumbit,
Commissamq. ratem per cærula naufraga euntē
Commendat, radijs præfulgeat vsq. serenis
Stella Poli, scopulosq. noceat, seseq. magistrum
Admoneat, quo tendat iter, quos dirigat Alnum
In portus, à puppe truces procul arceat Euros.

Ecce tibi, votis onerat dum talibus axem
Fusus humi, Mariæq. oculis suspensus anhelat,
Suppositis mento manibus, sopor intrat in artus
Lenè fluens, sensusq. ligat. petit æthera liber
Mentis apex, comitesq. viæ cernuntur adesse
Virgo Romulea de stirpe, atq. Insuber Heros;
Cælestes quibus ipse Pater Romanus honores
Haud decreuerat adhuc, meritasq. sacrauerat aras.
Æthereos iam supra Orbes Mens vecta, parabat
Chrystalli penetrare Domum. fuit obuia 'eunti
Aligerum numerosa phalanx; solioq. supernæ
Adiunxit Matri. Chlamys aurea corpus obibat,
Sole suo præcincta latus, duodena ligabant
Astra comas, & Luna sacras argentea plantas
Lambebat demissa caput. Stratum illa benigno
Ecclesiarcham oculo spectat, dictisq. salutat.
Grata mihi, à puero quæ agnoui semina cultus
In te sparsa mei: creuit iuuenilibus annis
Vsque flagrans pietas, quæ nondum ætate senili
Maturo, pondus moderandi tradidit Orbis.
Cumq. gubernaclo impositum te figat in vnum
Lumina, qui Nati decus immortale fatetur,
Et quem Christiadum Fidei pia tessera signat,
Nunc nostri magis vrat amor, magnoq. calescat
Fortius exemplo, si crebro nostra frequentes
Limina, maiore aut cultu clarescere mandes.
Quid quod me egregia quam relligione colebas
Purpureo insignis peplo, nullumq. sinebas
Pœnè effluxe diem, quo non peterentur amatæ
Exquiliæ: nunc cum triplici tibi vincta Tiara
Tēpora sunt, Mundiq graues moderaris habenas,
(Consilij id Patribus nuper me afflante coactis)
Non edas antiqui aliquod mihi pignus amoris?
Nonne fidem testere tuam? Quare inclyta nobis
FANA para, lateq. nouum molire Sacellum
In veteri, quod prodigio Vir, femina quondam
Ingenti cura, & celebri struxere paratu,
Mox alij studio maiore auxere Nepotes.
Nec meriti laus tanta tui, nec tanta sequetur
Gloria, magnifico PETRI augustissima sumptu
Templa refingentum, dilatantemq. refectis

Por-

Porticibus, nobis noua quàm Delubra dicantē.
Quoque operis species formanda refulgeat ante,
Et molimen eat felicius, Oraq. Patrum
Plurima cum signis sparsim radiantibus addas,
Inspice in hoc speculo, gradientem perlege turbā
Dignaq. Viros præconia nostra canentes,
Ex quibus inducto cœtu, tractimq. coronā
Disposita, formis distincta loquentibus Aedes
Omnigenas valeat Templorum euincere moles.
Sic ait, & vitreum plaudenti prętulit Orbem
Pontifici. Gabriel, vt quæque prçiba t imago,
Se se ex aduerso referens, adstabat, & vna
Ingredientum oculos, nomenq. & gesta docebat
Illa (inquit) quæ festiuo vestigia vultu
Promouet, est nostra de gente educta Iuuentus.
Quippe supra Angelicas olim Virgo edita classes
Nullo fas sistat plantas in limine, circum
Ni stet casta cohors, & Heræ famuletur eunti.
Aeternum insequitur Flamen, puramq. Columbę
Induit effigiem, Virgo cui nupserat, ante
Adamidū quàm tristè genus raperetur ab Orco.
Quattuor adde Duces, queis tuta incedit in Orbe
Ecclesiæ Quadriga, rotis ceu fulta quaternis.
Primo Gregorium, cuius mitissimus vltrò
Cælipotens conuiua fuit plebem inter egenam.
a Huic sublimis erat vertex, Iudæa virago,
Quæ vt VERBVM casto produceret innuba vētre
Erexit culmen meritorum, examina supra
Cælituum, iuxta solium Deitatis eburnum.
Insequitur Stridone satus, Solymæ inter opacás
Consenuit qui spontè plagas, & rebus inhæsit
Arctius æthereis. Fœdi succedit Arij
Hostis Athanasius, multis clam sæpe petitus
Insidijs, semperq. tamen seruatus. Achiuum
Doctrina, eloquio longe clarissimus alter
Gregorius: procul à fidei discedere castris
b Clamat eos, qui progenitū de Virgine Christū
Obliqua pietate negant. Nec omitte sequentes
Pontifices. Placida se fronte Gelasius offert,

Sæua

a lib. 1. Regum.
b Ex orat. 51.

a Sæua Manichæis indicens prælia, turpes
Horum discerpit libros, & concremat igni
Virginei ante fores Templi: Tu Gregori Magne
b Rursus ades, latiamq. lue grassante per Vrbem,
Aëre corrupto, septena cacumina Romæ
Lustras, Ora gerens Mariæ, depicta superbis
Exquilijs. tabes actutum immunda remittit,
Funera decrescunt, & vindex Angelus ensem
Condens sanguineum, Romanas mitior Arces
Respicit, & pressas releuat iam peste cateruas.
Post sequeris Martine prior, qui hac Aede Tonātē
c Dum placas, mactato Agno, lictore nefando
Posceris ad mortem. Stringit fera tela satelles,
Ceruicemq. tuam trux appetit. Obruit olli
Confestim nox orta oculos, cæcusq. recessit,
Liber abis à cæde Pater, gratesq. rependis.
Nec Leo nō Quartus supplex ea Tēpla frequētat
d Cū populo, immanis rabiē plorante Draconis.
Stabat acerba fremens, fauces imbuta veneno
Bellua, & afflatu regnum Latiale necabat.
Antistes Mariæ Romanus supplicat: Anguis
Rumpitur, & viru proprio suffusus anhelat.
It pone iniecto super vtraq; tempora velo,
Castigatarum spolio vestita togarum
Dux casti Francisca chori, quam Roma Puellam
Excepit, fouitq. sinu. sed debeat ortus
Quamuis ipsa suos Romæ; tamen æmula debet
Rōma magis: decorant sua mœnia Turre latētes
Franciscæ Comites, Speculorum nomen adeptę,
Nec putat albenti Speculorum luce minores.
Hæc nutu stat Diua tuo, expectatq. referri
In Superos. haud, PAVLE, deeris: iungesq. secū dū
Clara à stirpe Virum, quo Insubria tota superbit,
Et Borromeiæ tollunt se celsius Arces.
Agnosce, ò, veterem Socium, qui cinctus eodem,
Quo tu dudū, ostro, summos cōtempsit honores,
Diues opum, vulgoq. potens popularibus auris,
Proximus à primo. stimulis cœlestibus actus

Deser-

a Baron. Annal. tom. 5. Autor de Rom. Pont.
b Baron. tom. 8. Canis. lib. 5. c. 22. de Deip.
c Anast. Baron. tom. 8. d Baron. tom. 10.

Deseruit turbas Aulæ, pondusq. regendi,
Quo nouus Alcides Atlas erat Orbe secundus,
Proiecit gaudens, rerumq. reliquit habenas.
Cis tantum Alpinam placuit moderarier oram,
Et studijs formare sacris, Patrumq. seueris
Moribus. Hic dictu quàm pertulit aspera, vitæ
Quàm crebrò discrimen adijt, præstabit abundè
Posteritas mirata fidem: sertumq. perenne,
Quod Numen cœleste dedit, testaberis ipse
Orbe palam, thusq. oblatis adolebis in aris.
Perge oculo famulãte sequi, quo fulmine IVLI-
a ANVS obit. multa in Persas rapit agmina præ-
Propositiq; tenax post prælia, velle nigrãti(ceps,
Christicolas mactare Erebo: passimq. rebelles
Putri Vrbes æquare solo. sed iussit abire
Spes præconceptas mitissima Virgo per auras.
Mercurium, Artemium Cæsar spoliarat equtstri
Ornatu, & sacris deprensos, strauerat ense
Insontes. Hastam ac nota arma resumere Virgo
Imperat, vt clausi nebula (dum feruidus instat,
Et pugnans obuertit Equum) violenter adacta,
Cuspide transfigunt. Cernis crudele gementem
Vulnus, & effusum dextra minitante cruorem
Stringere? compressamq. manum diducere, iñcto
Hoc rabidè affatu? Vincis Galilæe. Quid illum
Flagitij accensum sensim crescente fauilla
b Respicis? Effigies deleri iusserat omnes
Virginis, in Diuosq. procax maledicta vomebat
Copronymus. linguæ tabo pallebat Olympus.
Haud impunè tulit: diuinitus affuit vltrix
Flamma, nec accessum tardarunt fulmina, tætro
Missa Chao. Obsedit plantas dumtaxat vtrasq.
Ignis edax; toto comburi corpore visus
Eiulat, & læsum numen placarier optat.
Adde his Armenum manifesta cæde Leonem
c Prostratum, signa & cædis monstrata Parenti.
Præmonet hãc Maria insõnis, propriũq. sacellũ
Indicat adspersum maculis, calidoq. refusum
San-

a Heliad. Nicephor, Baron. tom. 4.
b Zonoras tom. 3. ann. Cedren. in comp. Hist.
c Zon. 13. in Michaële Balbo Cedrenus

Sanguine de busto illorum, quos dulcis alebat
Relligio: Iubet, assumat Vas, atq. cruore
Oppleat: auersa ta nefas Regina, recusat.
At non (Virgo inquit) Gnatus tuus abnuit. ipsos
Cultores nostri obtruncat, venasq. calentes
Perforat ingratus, scelerumq. libidine vecors
Sanguineo vas imbre replet. mora nulla. scelestũ
Pœna manet; grassatorum manus ingruit. ibat
In sacrum penetrale Leo (num sancta profanum
Templa tegant, tutosq. sinant errare rebelles?)
Hic miser excipitur gladijs, animæq. volanti
In Styga iã cruor egrediens, comes esse parabat,
Visceribus se continuit sceleratus, & ausus
Non est prodire, & castum (fœdum ante Leoni)
Tinxe pauimentum. Porro squallentis Auerni
Rex ferus has laruas, hęc mõstra nocẽtia in Orbẽ
Diuidit, in Mariæ titulos armata pudicos.

Talia diffidia ostendit Pater ætheris ipso
Infantis Mundi exortu, dum voce Draconem,
Qui cupidam pellexit Euam, sic increpat. Eia
Cum Muliere tibi sint fœdera nulla, perennes
Inter se ducant amborum semina rixas;
Et caput vna tuum sacratis femina plantis
Atterat, ac nequeat lex hæc æterna refringi.
Hanc sobolem vetus Anna dedit. tu cõprimis atrũ
NAZARÆA Anguem, te noxia spicula agente
Submittit cristas atq, horrida sibila ponit.
Veridicos quæris Vates, qui Pignoris almi
Ingenium laudesq. tonent? consurgit Esaias,
Qui Libani, qui Carmeli super alta, Saronq.
Constituit iuga. Virgineum qui matris ab aluo
Florem habuit Hieremias. Qui lucida iuxta
Stagna Chobar, Cęli valuas adspexit apertas,
Ezechiel. Qui ignarus fandi à labe Susannam
Asseruit, iudexq. senum commissa piacla
Prodidit, & docuit secreta Oracula Regem
Fatidicus Daniel. Canit hic nulla arte recisum
Vertice ab excelso lapidem, sensimq. rotatum,
Primigenam aërei montis sumpsisse figuram:
Ante tamen varijs signum fregisse metallis
Compactum. Fultos iaculis grauidaq. pharetra,
Heroas

Heroas properare vides, in bella vocantes
Virginei autores probri. Hûc dedit Africa Mūdo,
Est & Irenæus. Nomen communicat ollis
Ignis, Amor, qui delicias hausere supernas,
Dum tribuit vitam Ignis, Amor. Par ecce vidēdū
Nobile se præbet. Quem cepit inhospita Patmos
Damnatum exilio; tenuit quem frigida Ponti
Ora Virum, egregiumq. fide & cælestibus auctū
Prodigijs Thaumaturgum de nomine dixit.
Astitit huic, somnum capienti nocte profunda,
Parthenices iussu, demissus ab Axe Ioannes;
Proq. abstergenda hæreseon caligine, claram
Lampada succensam pietatis porrigit igni
Continuò populi diuina arsere fauilla,
Cælestumq. decus complexi pectore toto,
Omne nefas pepulere animo, veroq. Tonanti
Thure pio accendere focos, arasq. dedere.
Quarè in morte Pater dulcè exhilaratur, In Vrbe
Tot superesse animas Christi extra castra, quot
Militiā summi cognorat inijsse Parentis. (olim
Insequitur fixo obtutu Bethlemia Virgo
In Gnati vultus, terris extrema minantis,
Quoq. iram fregisse queat, dextramq. potentem
Flexisse, aggesta in cumulum, quæ multa patrasti
Digna Deo, digna æterni mercede talenti
Francisce Vmbrigena, irato lacrymabilis offert:
Tum meritus quæ est multa Pater, desemine du-
Hispano, & Domini sūpsit venerabile nomē (ctus
Ille autem, cui gemmiferum diadema capillos
Impedit, & rutilis armatur dextera sceptris,
Quis sit, forte rogas? Nabathæa è gēte triūphum
a Lætus agit Princeps Heraclius, & superato
Chosroè, Persarum populis (Duce Virgine) Regē
Imponit. picta radiant ab imagine Diuæ
Agminis in medio rapidæ vexilla phalangis.
Vni pugnandi, vincendiq. imputat vni
Consilium, auxilium Mariæ. Iam tendat ad Vrbē
Dauidis, vt partæ signum immortale salutis
Anxius inquirat. Magnus vestigia Narses
Pone legit, cui mansuras gens Itala lauros
Exhi-

a Baron. tom. 8.

a Exhibet, ah nimium Geticos experta furores,
Et crudele iugum: Sed enim licet acer in armis
Stet Totylas, cladesq. ferox huc diuidat atq. huc,
In partes, Latia ora, tuas; classesq. Gothorum
Sæuius insurgant, & tela minacia passim
Expediant: lætare tamen, vultuq. recuruo
Vltorem venerare tuum. Plaga præbuit illum
Byzantina tibi, spolijsq. Orientis onustus,
Grandius Ausonio meditatur in orbe trophæũ.
Iam prope Ticinum Totylã mors effera ad Orcũ
Compulit & per diffidium Dux factus, eodem
Abstrahitur Theias. tam prospera prælia Virgo
Narseti confecit: amat certamina ab huius
Cuncta patrocinio fieri. Sic Germinis almi
b Admonitu nectit Cyrillus fœdera Eoos
Inter, & Hesperios Patres, dum scribit in albo
Christicolum aurato memorandũ ex ore Ioannẽ.
Percense Mariæ titulos, speciosior æque
Nullus adest, quã quod thalami inter iura, pudi-
Virginitatis honor steterit, tædasq. maritas (cus
Intacti decoris castissima zona ligarit.
Hæsere exemplo, quas aspicis, Heroinæ:
Quæ quamuis fuerint connubia certa secutæ,
Nil his virginei quicquam de labe pudoris
Detractum, totidemq. Viros habuere Iosephos.
Est Augusta prior Pulcheria, iuncta iugali
Mauritij thalamo: Regali splendida mitra
Est & Edeltrudis, qua se Anglia tollit ad Astra;
c Est Cunegundis, tractus Regina Poloni,
Nupta Boleslao; Virgo, dum vescitur aura
Coniux ætherea, cassus dum lumine vitæ est,
Virgo eadem. quæ tum partito in publica censu
Cõmoda, & impensis opibus, se in septa recõdit
Abdita, vbi veniens exegit duriter æuum.
d Quin, age, restitui truncatam respice dextram
Ab miti Domina, pro cuius imagine densa
Vsque

a Euagrius l.4.c.23.Niceph.lib.17.c.13. Bar.to.7.
b Niceph.l.14.c.28.Baron.tom.5.
c Euagrius l.2.cap.1.Niceph.l.15.c.58.Beda lib.4.
cap.19.20.Cromerius l.10.
d Surius tom.3.Lippom.tom.5

Vsq. reponenda, semperq. decenter habenda
Euigilat scribens obscura in nocte Ioannes.
a Necnon Virginea pro maiestate tuenda
Respice Idelphonsum, diuino tegmine opertum
Verum Aldobrandi me iam Pastoris imago
Sancta vocat. Senio insignem & feliciter actis
Conspicuum rebus, Lethæis eximit vndis
Fama ingens operũ; trãs & Garamãtas & Indos
A vestro Orbe vehit. Superis noua numina fastis
Adijcit; æterno coniungit fœdere Reges
Francę, Hispane tuos; fausto certamine Turcas
Deijcit; Eridano frænos imponere Tybrim
Imperat, vt Dominam metuat Ferraria Romam.
Post-PAVLVM sua imago decet, generosaq. rerũ
Stemmata, te coram, fuerit numerasse pudori.
Cerne vigil sex Heroas. nitida ora Ioannes
Exhibet. in Solyma qui Rex æquissimus Vrbe
Ingentem Salomona dedit. Dionysius ille est,
Cecropiã qui illustrat humũ. Qui fruge Iosephus
Subleuat arentem, Nilo haud vndante, Syenem.
Dein Virgæ gestator Aron. clarusq. subacto
Dęmonis assultu, meriti Bernardus opimi.
b Quid taceã Sidus, quod celso in vertice pernox
Fatidici Astrologus spectat de prole Balami?
c Quid portentosum Regem, Babilona regentẽ?
Quid squallentẽ auro, de nõ pereuntibus Arcam
d Compactam lignis? à fluctu impune receptam,
e Delatam Armeniæ supra fastigia puppim?
Virginis auspicijs morbo, Nicolaë, leuaris,
f Diditur in plures, abs te suscepta Roberte,
g Relligio. splẽdor Carmeli aperitur, & hymnos
Qui ingeminant, vera in maius pietate feruntur.
h Ad pelagi littus Mariæ templa ardua Princeps
Excitat Emmanuel. Equites noua iura, nouosq.
i Theutonici ritus ineũt, statuũtq. perennes.
Has

a Bibliot. vet. par. tom. 9. Sur. tom. 1. b Quæ in Sacrario Numer. 24. c Daniel. 2. d Exod. 25. e Genes. 8. f Mombrit. tom. 2. g Surius tom. 4. 5. h Osor. de trib. gest. Emm. l. 2. Maph. l. 1. Ind. Hist. i Æneas Sylu. Europ. cap. 18. Polyd. Verg. l. 7. c. 5.

Has ſpeculo impreſſas formas, certo ordine itu-
Angelus oſtendit. Mens hauſit læta Parentis (ras,
Auſonij, quæ corporeis mox reddita vinclis,
Pulchram Aedem vouit Mariæ, viſisq. referſit
Vndique imaginibus. Nec longæ tempore ab illo
Præteriere moræ. Gens iuſſa cäpeſſere vulgò,
Marmora cõuehere, innumeros accire Magiſtros
Fictor, Pictor adeſt, Faber & Murarius, omnes
Certatim incumbunt operi. Iam fornice picto
Concamerant Templum, maior teſtudo, minorq.
Dimenſis ſpatijs ſubiectam amplectitur aulam.
Omnigeni circum lapides, quos lumine fixo
Pœne legas, fulgorq. oculorum lædat acumen.
Inſpectus Templum ordo iuuat, veſtigia ſi quis
Huc ferat ingrediens, dextra lęuaq. columnas
Cum tabulis ſignisq. notet; cum Pignore Matrē
Vallatam Angelicis cuneis, flammiſq. Pyropi
Cinctam ex aduerſo videat. ſupra emicat aureo
Margine congeries Niuium, Præſesq. ligone
Signat humū, & veterē metitur arundine ſedē.
Quis diſpoſta locis viuentia ſaxa; quis aurum
Largiter infuſum, quis vermiculata theatra
Flore nouo ſilicum, variaq. ab nube colorum
Ora ſacris expreſſa tholis, tot Iaſpidas, vdi
Concretos chryſtalli ignes, aſarotaq. euntes
Acceptura pedes, cupidè adſpexiſſe laborat,
Nec ſit iners ſaxum, ſtupefactaq. ſurgit imago?
Scilicet hæc ſeros torquebit cura Nepotes,
Præſtari potuiſſe, hominum tanto ante negatum
Ingenijs, PAVLOQ. nihil non molle volente,
Et PAVLO fieri procliuia cuncta iubente.
Ergo dum fluctu fuerit circumdata tellus,
Dū tacitè volucrem Phœbus moderabitur annū,
Ignis ſumma petet, mare fluxerit; ibit in æuum
BVRGHESII Paſtoris opus, nitidumq. Sacellum
Dente auido quę cuncta vorat, mira arte vetuſtas
Seruabit, nec rupta Orbis compage fatiſcet.

C TA-

TABVLA S. MARIÆ EXQVILINÆ
in Sacellum Paulinum translata.

QVæ noua nascentis video certamina Solis,
Dũ ꝑperè emergẽs pelago, supera arce po-
Nititur; è cõtra stellarũ armata maniplis, (tiri
Luna negat cessisse loco; Cęliq. fenestras
Obsidet, impatiensq. fugæ, fraterna lacessit
Lumina? an ex æquo cura est spectacla tueri
Romuleæ promenda Vrbi? certantq. pudico
Flammarum luxu famulas inflectere luces
Ingenti DOMINÆ, per proxima rura ferendæ?
Cuius adoratis substernitur altera plantis,
Alter purpureo corpus præcingit amictu.
Sic reor. Intendunt facies ipsa Astra serenas,
In medio spectanda die, Reginaq. Noctis
Conspirat facibus roseo cum fratre diurnis.
Omnibus vnus amor, Collem defigere in vnum
Flagrantes oculorum orbes; à calce Quirini
Occupat Exquilias ternum Iubar. Eius ad ortũ
Fulguris assumpto surgit diademate Roma,
Ac solito maior, cunctis se mane videndam
Exhibet. vnius fit verticis incola, septem
Quæ capitur vix tota iugis. Quàm multa Iuuẽtus
Confluit! & passu celeri quàm multa senectus?
Cardinei coiere Patres, Dux, Marchio, Princeps;
Quot numero æquarint Tiberini gurgitis vndas,
Siluarumq. comas. Porro lux ista beatam.
EFFIGIEM transferre parat. Temploq. locare,
Quod PAVLI pietas magnæ dat habere Parenti.
Huc Vaticana se matutinus ab Aula
Pastor agit, chariq. subit conuexa Sacelli.
Arx longè bombis crepitantibus Ælia plaudit,
Vimineus quoq. plaudit apex; Echo abdita sacris
Adstrepit Exquilijs, summiq. Antistitis ingens
Tollit opus. Procedit ouans à Virginis Æde
Ordo Patrum supplex, dictumq. à Vimine cliuũ
Deserit: inclinat gressus, totamq. Suburam
Circuitu propiore legit; gestata Virorum
VIR-

VIRGO humeris, iterũ veteres cognoſcere tractus
Gaudet, & immundã tabẽ quibus abſtulit olim,
Aurai indulgens meliorem ſimplicis vſum,
Nunc bona præſtat idẽ. quin dat vulgo omnibus
Pace frui (Reges ineũt tua fœdera PAVLE, (alta
Auſtriacæq. potens mitræ properauit ad Vrbem
Cæſaream iurare fidem) dat & imbre rubentum
Oppleri frugum; numquam ſe copia latis
Plenius infudit terris, ſegete arua triumphant,
Romano ſubiecta Seni; pulſo vndiq. Marte
Exultat tranquilla Salus; vena inclita morum
Vel rudibus differtur agris; laribuſq. Potentum
Exulat Ambitio, caſtigatiſq. modeſtus
Faſcibus accedit tenor, inculpataq. floret
Relligio. O quæ tot cumulas hæc ſæcula VIRGO
Muneribus, da decurſu fluere iſta perenni,
Et finem non noſſe æui. Permitte ſalubres
Viuendi calcare vias, noſtriq. per æquor
Conſilij tutam mentis torquere carinam. (eſt
Quale iter ambigua oſtẽſum Iordanis in vnda
Iſraeligenis, primo qui à limite puram
Traiecere Arcam: primis à ſedibus Arca
Tu transducta iterum; te moles gemmea Templi
Egregiè conſtructa manet, latera omnia cingunt
Angelicæ Claſſes: quæ & te comitantur euntem
Inſtratum per iter violis, nimbiſq. roſarum:
Obrigeat quãquã acris Hyẽs; ſed verna repreſſit
Temperies brumale malum, veſtitaq. tellus
Fronde noua, & varij ſuſpenſa Aulæa coloris,
Fonticuliq. recens ducti, blandoq. ſuſurro
Flabra adſultantum Zephirorum, dulce ſereni
Veris habent ſpecimẽ Sed. n. decurſa Subura eſt;
Succedit trabeata cohors: pars ſtipat euntem,
Et pars poſt-ſequitur Mariã. vaga purpura Solẽ
Sauciat, accendit precioſior Infula lucem,
Spectantũq. oculos recreat; qui examine magno
Poſtibus hæſerunt, anguſtaruntq. feneſtras,
Tum iuga tectorum, ſpatia & longinqua viarũ,
Immiſti hoſpitibus denſis: quot ſcilicet Annus
Adſpexit non ante ſacer, cum ſancta recluſit
Oſtia magnanimus CLEMENS, veriq. Tonantis

Prodigus immenſum gazas effudit in Orbem.
Vix gradus inceſſu liber. redit, vnde profecta,
Turba ferens ſimulacra Deæ. Geminare canoros
Naula citata ſonos, circum ſtrepere ora canentū,
Cornicines inflare Tubas, tormenta per auras
Eiectare globos, pulſuq. agitata frequenti.
Æra repercuſſam per inania ſpargere vocem.
Effigies nam Templa ſubit; defertur ad Aras,
Thure vaporatas, queis altè imponitur. Olli
Sternitur agmen ouans; votis cõmunibus ardet
In MARIAM Paulæa Domus, cæleſtibus armat
Grex ſe diuitijs, quas PAVLI dextera iuſſit
Currere in octiduum, largitoriq. precatur
Donum æquale Patri. felicia ſæcula ducat;
Orbibus innumeris picti ſtructura SACELLI
Splendeat, & dominæ ſit princeps gloria Romæ.

IN AQVAM PAVLAM
LYRICVM.

TAndemobſtinatum rumpe ſilentium
Auguſta Clio. iam fauet hoſpiti
Aër Quiritum, Vaticani
Roma iugi recipit colonam.
Num prata deſunt hic tibi gemmea,
Summi inuidendæ deliciæ Iouis?
Vmbrænè deſunt blandientes,
Flatibus expoſitæ canoris?
Longène Aquarum ſuaue ſtrepentium
Ductus recentes? qui Viridaria
Maiora primum, mox minora
Latè obeunt locuplete riuo?
Haud his amœnas vitrea conferat
Pimplea venas; ſiue quis explicat
Phœbo amnis argentum renidens,
Florea Caſtalidum per arua.
Tu euentilata ſtrata ſub arbore
Indormientem barbiton excita:
Qui magna terrarum fatigat
Fræna PATER, meditare verſu.

Nun-

Nunquid recuſas? ponderi & imparem
Ceruicem iniquo (nec pudor) indicas?
Permitto. Sed ſaltem recenſe,
Quas propius bibis aure laudes.
BVRGHESIANAM ſuſpice Virginem,
Sedentem aquoſo in pumice, lucidum
Palmis capillum comprimentem,
Vnde latex opulenter exit.
Læua Draconem fluctibus aureis
Euerberatum, fauce quoque aſpera
Vndam euomentem: quale ſpectrum
Vidit inexplicitus Ioannes
Patmo repoſtus. Stat latus ambiens
Dextrum, Tonanti fulmina porrigens,
Roſtroq. certatim recuruo
Promit hians fluuiale regnum.
His liberalis Virgo natantium
Furtiua aquarum robora ſufficit:
Vrnisq. plenis temperato
Tractu, animat reſides canales.
Hinc lympha manans, ad numerum melos
Vocale profert: ceu Lyra Thracia
Illic ſuſurret, cui furores
PAVLA recens adhibet Camenas.
Eſt Numen olli; dulce ſonantium
Audi, & renarra murmura carminum.
PAVLVM tonat, PAVLVM theatris
Diuum, hominum ſapienter infert.
Hæc ipſe. Clio cœpit obaudiens,
Cantata rurſum verba reſumere.
BVRGHESIANI vox fluenti
Anteit, inſequiturq. Clio.
SALVE Corona tergemina inclyte
NEPOS Quirini, maxime Præſulum
SALVE, priori quotquot æuo
Auſonia ſtatuere in arce
Vexilla Chriſti: ſeu mihi ſanguinis
Spectetur ordo, ſeu titulos ſuos
Diuina dos oſtendat Orbi,
Sueta hominum decorare mentes.
Vel pura, concors Relligio incito

Cursu notetur trans iuga Caucasi,
Trans æstuosas tendere oras.
Oceanum vel vtrumque adire.
Est ALES, Axem quæ propius petit,
Indexq. sæcli perpetui DRACO est:
His gloriarum faustitatem
Credimus indicijs perennem.
Quid me remotam longius euocas,
Per BRACCIANI limitis æquora
Differre contentam pudicas
Fonte aliò reuocante, venas?
Nunquam occidentes vt (puto) Laureas
Denuutiem; quæque instar euntium
Ferantur vndarum, futuris
Orbibus, & vice sæculorum.
Augustus olim non procul hinc Aquam
Inuexit Vrbi, iussit & aridos
Vndare campos, vt patentem
Naumachiam populo pararet.
Obstruxit omnes interea alueos
Obliuiosi temporis insequens
Neglectus, & marcens veternum
Nobile opus tenebris recondit.
Post replicatas mille Poli vices,
Semper rotantis, longe alios tamen
Ducens in vsus, hanc vetustum
Currere iter iubet Hadrianus.
Ille Hadrianus, qui à Carolo Vrbium
Rescriptus hæres, sparsaq. Lingonum
Latè arma Bardorum triumphans,
Reppulit Oenotrijs ab aruis.
An MENS, supernum quæ regit æthera,
Determinata lege per humidum
Libratur æquor, nunc resoluens,
Nunc fluuiorum vterum coercens?
Introrsus haustæ limus adobruit
Secreta terræ, marmor & incidens,
Cuniculos & clam sepultos
Vsque vorax perimit vetustas.
Auguste, non te Naumachiæ decus,
Non te Hadriane, trans Tyberim lacus

Tollit

Tollit refossus, conditurque,
Efficitis quod vterque Princeps.
Iamque Vrbem egestas cœperat algidi
Vexare fluctus: Virgineus latex,
Aut vnda Felix non abunde est,
Indiga erat tua Roma lymphæ.
Haud huc nocentem antiquitus alueum
Referre cura est. deliteat procul,
Riuoq. concedat salubri
Luctifici ALSIETINA riui.
Me PAVLE, cæco sub lare conditam,
In lucis oras surgere præcipis;
Quà quà locorum, vix meatu
Vfus & indicio priorum.
Quis te coëgit protinus anxiæ
Præsto esse causæ? fit, mihi qui explice,
Compendium dandum paternis
Mœnibus & populi quieti,
Adsit, qui & altum consulat æthera:
Nodos latentes sedis Olympicæ
Exsoluam (Aquarum Numen vrget)
PAVLA potens: relegam volumen
Stellantis Axis. Fallor? an indidit
Hos eruendi gurgitis impetus,
Qui moliendi, fabricandi
Ingenium dedit auctor idem?
Te prodeuntem sub liquidam aëra
Adspexit vdum sidus Aquarij;
Fulsitq. amicè tractu eodem
Ausoniæ bonus hospes oræ
Saturnus: Astrum cui nitet additum,
Vndæ fluentis meta nouissima,
Æterna cuius laus habetur,
Et titulos Adamante nectit.
Tùm quà nigranti Sol face mergitur
Vastum marinæ Tethyos in sinum,
Cum corde fulgebat Leonis
Stella Iouis radians benigni.
A Sole flammis Luna micantibus
Crescens, recedit, verticem & occupat
Fastigiatæ Cœlitum aulæ,

Æmonij Senis ad quaternas
 Subuecta partes. Leniter adstitit
Adiuncta Phœbo Cypris amabilis.
Hinc est voluptas æmulandi
Palladis ingenium superbas
 Condentis Arces. Eligis insulas,
AtqueOppidorum more, neque vnica in
Parte Vrbis, educis Theatra,
Cum Domibus Plateas refingens.
 Structura splendet iam tibi multiplex.
Delubra narrem quid noua Cœlitum,
Crustata, ficta, & marmorata,
Dalmatico preciosa cultu?
 Quid Vaticani in culmine prodigam
PETRI ante Templum dicimus aream?
Quid fana iuncta? aut quid resectos
Vulnifica scopulos securi?
 Densæ laborant Artificum manus,
Scindunt morales, calce superstruunt,
Postes, fenestras, fornicesq.
Accelerant famulante ferro.
 Clamore Colles vndiq. perstrepunt,
Confusa voces Nympha reciprocat;
Qual e Ætna fumans murmur edit:
Quale vel Aeolijs ab antris
 Erumpit; Austri bella vbi carcere
Fracto minantur, iam mare purpurat,
Circumsonat nimbosus aër,
Et fragor indomitus triumphat.
 Procedere aulas ipsæ Operę stupent,
Duciq. in altum tot lapidum aggeres,
Ac tot columnas, quas lacertis
Non obeant validi Gigantes.
 Dein fulcientes atria porticus,
Saxosa claustra, impostaq. pegmata,
Et signa moli collocata ex
Ordine Apostolici Senatus:
 Proh quàm tuētum prouocat eminus
Mentes anhelas? vix oculis fides,
Cum substiterunt, mobilemq.
Sponte pedem propius tulerunt.

Hispa-

Hispanus hæret; Gallus, & Italus,
Dacus, Britannus, Dalmata, Cappadox
Hanc machinam tollunt in auras,
Teque legunt, Generose, in Astris.
Quid cum ruentum tot vaga fluctuum
Videre ruptis agmina rupibus?
Tum ludere exultim per Vrbem
Versa vada in faciles meatus?
Spumant liquentes per fora Riuuli,
Vicatim oberrant, prætereuntium
Visus morantur, prouocantq.
Ore niues capere enatantes.
In prona flexo desiliunt pede,
Rursum efferuntur, pæne vt originem
Æquatum eant, subterq. duri
Terga soli celeres rotantur.
Hæc ipsa Proteus nomina nesciat,
Hæc & qui opertam quassat agens humum
Sæuo tridenti, dissecansq.
Pandit iter fluuijs sepultis.
Iactare fontes desinit en suos
Loquax vetustas. Castalius latex,
Sperchius, Eurotas, Ilissus,
Orchomenos, Helicon recedunt.
Hoc rore Memphis Niliacos libens
Permutet imbres: gaudeat arida
Ægyptus, à BVRGHESIO Axe
Gutta pluens opulentat arua.
Malint capillos, PAVLE, tuis Aquis
Lauisse Nymphæ, margine frigido
Legisse sedem, Gratiæq.
Corpora perluere his lauacris.
Pallas recuset bellica patrium
Tritona, Dircen Thebais abnuat:
Optentq. Vates his fluentis
Sumere Apollineos furores.
Mox te canoro pectine siderum
Inferre Princeps, classibus aureis:
Vt nunc citata nube vocum
Instituit tibi Laurus Hymnum.
Nostros susurros auribus hic diu

Potet, fruatur numine Fontium:
Stet Vaticani sacri amœna
Plectra tenens, placide sub vmbra.
Faxis. Perennes sic fuerint tibi
Laudes. perennis ceu fuerit mihi
Defluxus, & gemmis coruscans
Me Scyphus excipiet cadentem.

Illustriss. ac Reuerendiss. D.
D. SCIPIONIS BVRGHESII
S.D.N. PAVLI V. EX SOR.
Nepotis.

CARDINALATVS.

Gaude altrix Augusta Ducum, semperq. recenti
Pignore, præcipuis Superum dignata serenis,
Cardineos auctura choros: depone senectam,
Nec similis procede tui, sanctumq. Draconem,
Certa sequi, primæ facibus reuiresce Iuuentæ.
En melior te forma decet; iam comere fas est
Impexos crines, & longo obsessa veterno
Tempora dens Indus poliat, suspensus ab aure
Pulcher Elenchus eat, collum tibi torque decoro
Splendeat; & non iam laceris in vestibus horrēs,
Sed clamydē præcincta nouā, sed cyclade fulgēs
Sidonia, illustrem titulis, solioq. potentem
(Quāquā absens, laribusq. procul seiūcta latinis)
SCIPIADEN venerare tuum: quem concita cursu
Fama per Ausonios, Thuscos delata, per Vmbros
Adscitum latij canit inter sidera Cæli:
Sidera, quæ miti latè dominata Dracone
Sanctius inspirant lumen, geminisq. sub Alis
Fota Aquilæ, magnas rapiunt ad præmia mētes.
Illum purpureæ radiantem lumine pallæ,
Crede, nouis certare rosis; quas dædala tellus,

Numinis Idalij largo perfusa cruore,
Vbertim extulerit, tepidi sub roscida Cancri
Signa; nec aut rutilis natas ab Solis habenis
Vincier, aut decimi cessuras ignibus axis.
Illum magnanima spectandum fronte, Quirites
Inter; Apollineum credas incedere Numen
Per medias Astrorum acies: assurgit eunti
Lucidus ordo Deum; quos multo luminis imbre
Irrigat, & senos Cæli splendere per orbes
Accepto de fonte iubet. Lætissima Roma
Assurgit Iuueni; florentem lampade sacra,
Deuorat intuitu; vsque adeo dum regia felix
Excipiat: quæ Romuleis ceu mœnibus vltro
Inuideat Titana suum, videt agmine magno
Assiduè sese obsessam, pubemq. frequentem
Mœrere, & noctis suspiria ferre per vmbras,
Expectantem auide;dū rursum egressus ab aula,
In Capitolinas iaculetur lumina turres.
Quis verò, quorum adcessu, Diademate rubro
SCIPIADÆ ingenti, sed cui maiora supersint,
Tempus vtrumq. ligat? quæ tanto, Patria, gaudes
Germine, maiores gaudendi percipe caussas.
Fertur, Apostolicam cum primum adsumptus in arcem
PAVLIADES, tumidū nutu compescuit Orbem:
Conuenisse simul diuerso à cardine mundi
Fluuiorum Grex omnigenus; volucriq. natatu
Antra per, & Valles, arcanaq; viscera terræ,
Consedisse vdis Romani Thybridis antris.
Quem forte obscuros numeros, præsagaq. fati
Astra recensentem spectant; dum nobilis Vrnæ
Chrystallo incumbit, Latiæ quam gentis origo
Dono Mars olim dederat; cum, se vsq. sequestro,
Olli connubio Numitoris filia iuncta est.
Obstupuit Tyberis; quemq. assurrexe volentem,
Externosq. amnes muscosa ad saxa vocantem,
Gallica voce pari, Tethysq. Hispana salutant.
Tum Pater Oceanus, cuius tot flumina toto
Terrarum distracta solo, nunc feruida mundi
Regna secant; nunc algentē voluuntur ad Arctō,
Lucentesq. Dracone plagas; nunc littora Calpes,

Nunc latus Eoum peragrant: vota omnia lęto
Claudens affatu, quæ mens erat omnibus, effert
Magnanimus, taliq. Tybrim sermone lacessit.
Thybri potēs, Thybri innumeras sortite Deorū
Centurias, semper Cęlo acceptissime Thybri.
Cuius iura amplo passim dominantia ponto
Ennosigæa ligant; cuius pellucida ab Vrna
Omnis in æquoreos dimanat gratia fluctus;
Audi, quæ plenis vndarum assensibus vna
Poscimus. Eruitur tenebrarum è fęcibus Orbis;
Quē, Superū plaudēte choro, pia dextra Tonātis
Æternùm sceptro frænandum suscipit aureo.
Seligit is; flammis qui terræ opera omnia lustret
Fons lucis, Sol auricomus. Conuertitur orbis
Humanorum operum, nebulosoq. abditur antro,
Romanus si quando Pater, iam ponderis alti
Impatiens, alios cursum meditatur ad axes,
Et tenebris damnat, tunc cum decesserit, orbem.
Discordem vero rosei pia cura Senatus
Soluit congeriem; Ianumq. adamante coërcens,
Ad toruos abigens Mauortia signa Gelonos,
Obfirmat fluitantem orbem; datq. æthere toto
Spectandum, rerum moderantē fręna Tetrarchā.
Tunc instauratam Phœbæa lampade molem
Excitat: & sibi quē consanguinitate propinquū
Ecclesiarcha velit, primum temonibus aureis
Admouet, & lucis dominari donat habenis.
Vt tum quæ mundi pars cumq. heu nube nigrāti
Obsita, ab indigeno cupiat splendore refundi,
Et summo nolit tenebras ab Rege fugari,
Accedat placidum, nil secum exterrita, Solem.
Rumpere pacatos duplex Discordia tractus
Cœperat: albentem cum iam scandisset Olympū
Aldobrandini senior CLEMENTIA sceptri;
Et gemitu magno Meddix migrasset eodem
Etrusca de gente LEO: sed reddita vestræ
Est sua forma Vrbi; conuersus constitit Orbis,
Et datus humano diuinitus Arbiter Axi est.
Ascendit solium PAVLVS; cui Nominis omen
Mens animæ concors, & Pax ab vtroq. recurrens
Contulit Oceano: nos vidimus aëre aperto
Excu-

Excutientem alas, & inania lata secantem,
Vsque ad Tarpeij delatam culmina templi.
Et nunc, insano reuocans à Marte rebelles,
Spargit oliuiferas per Mundi climata palmas.
At rebus iam compositis, fas alter Apollo
Adueniat, qui sternat iter florente sereno,
His, qui ad PAVLÆAS inhient accedere plātas;
Diuinamq; tueri aciem; consulta referre
De sancti mole imperij, de Pace fouenda,
Vndiuaga de Puppe Petri, de Thrace fugando,
Francorum de Rege, pij de classe iuuanda
Cæsaris, Hispani de Maiestate Philippi;
Deq. Europæis Ducibus, quosq. Africa profert,
Et qui fœcundis Asiæ dominantur in oris.
Ergo consilijs pollens, natusq. regendis
Fascibus, eloquij rabidos qui melle Leones
Mulserit, & nostras à cursu torserit vndas,
Ingenij Rex vsq. sui, cui pectus Honesti
Obrigeat glacie; cui stent sacraria mentis
Sidereis incensa focis; studijsq. potentum
Longe absit, tantum communia curet, in omnes
Æquus, & iniusti multator feruidus auri.
Idem delicijs Musarum illectus, Olympi
Spectet defluxus, quos nullo fœnore in Orbem
Depluit; ille etiam venerandis Vatibus vltro
Impluat influxus, alienaq. commoda curet,
Inde nihil sperans; quem præmia nulla petentē,
Vltro Honor ambierit, calamisq. sonātibus vltro
Efferet, & notum niueo sacrabit Olympo,
Ad cuius Genium semet formauerit. Ergo
Prodeat in medium, qui dotibus hisce triūphet;
SCIPIADES (teq. ad PAVLI vestigia fuso,
Ac nostras referente preces) placido annuat ore
Maximus Antistes; sanctaq. ab sede secundum,
Florentem Tyrij preciosa in veste galeri,
Dicat SCIPIADEN; det gentibus inde fruendū,
Gaudentemq. suis moderetur legibus Orbem.
Hæc Pater Oceanus. Cuius vota ardua versans
Thybris, ab vndisonis dū surgere destinat antris,
De Vaticano confestim vertice, Etrusca
Nais adest, glaucaq. comas vmbrata corymbo;

Corde

Corde hilaris, pulchroq. vomens ingentia vultu
Gaudia; purpureis adscriptum Classibus, alte
SCIPIADEM ingeminat: psallentem efferuere
Lætitia, ominibus certis, votisq. petitum (Romā
Suspicere, fremitu discurrere, tangere dextram,
Spargere fronde solum, prætexere compita sertis,
Quà lenis visu, roseo spectandus in ostro
Incedat. iamq. Angelica diffulgere ab arce
Tormenta, & Cælum festiua glande cieri.
Surgit ab his læto fluuiorum exercitus ore,
Et parat ad subitos illustria murmura plausus.
SCIPIADEN gelida antra sonant, dāt Thybridis vndæ
SCIPIADEN, totis memoratur SCIPIO ripis.
Tum se ab congressu soluunt, murisq. repente
Migrant Ausonijs alieni flumina tractus.
Indorum pars regna petit; pars littus Iberum,
Hesperiosq. aditus; pars feruentissima regna
Limitis Austrini; pars nigri Aquilonis ad axem
Defertur, passimq. canunt vocalibus vndis,
Per sola terrarum, per cardinis arua quaterni
SCIPIADEN meriti decoratum luce galeri.

VILLÆ BVRGHESIÆ
Epigraphe, & Leges.

Hospes ingreditor, sistito:
Quod hic fas, quod nefas, habeto: (talis.
Adsto, si contēpseris, vindex, si parueris, hospi-
K.I. Rhedæ præter Principū virorum emanento.
Rixæ, querelæ, seuera, seria procul sunto.
Hic honesta quies, hilaritas, comitas, & festiui-
K.II. Aëris salubritate fruitor, (tas
Præclaro collium prospectu oblectator:
In Æstate auræ flabris æstum leuato.
In Hyeme apricator. (deambulato.
Valetudinis tuendæ, vel animi relaxandi causa
K.III. Quoquo versum securus progreditor,
Siue quà frōdēti peristromate paries amicitur,
Seu quà flexuosis arbores ramis cōcamerātur,
Vel

Vel vbi topiaria tapetibus herbidis ornat solū.
Seu mollem torum virens gramen exhibet.
Siue qua nemus amabiles vmbras explicat,
Vel vbi ridet omnigenū florum mira varietas,
Odorumque fragrat multiplex suauitas,
Septa tamen, neq. in areolas transilito.
K.IIII.Medica mala, Pomonæq.multiformes fœtus intuetor.
Lympharū detētus lusibus, murmure delinitor.
Occultis impetitus iaculationibus ne irascitor.
Auiarium, & peregrinas volucres inspicito.
Aures auium concentu demulceto,
Aucupio tamen interdicitor,
Viuarium liberè peragrato
Feras ad voluptatem, citra noxam, agitato,
K.V.Ædes extimas, intimas curiose lustrato,
Supellectilem, & picturas ociosè contemplator.
Statuas obstupens inuisito, tanquam locuturas
Responsa non expectato. (adito,
Oculos quouis intendito,
Manum abstineto.
K.VI.Inspiciundi Solarij tibi ius esto,
Interdiu quamdiu iucundum immorator,
Hero benè precatus, cum lubet, sospes abito.
Si, & quoties voles, gratus redito.



IO: BA-

IO: BAPTISTAE LAVRI
PERVSINI
VRBANO VIII.
Ab intimo cubiculo.

SILVARVM
LIBER TERTIVS.

Ad Reuerendifs. D.

PAVLVM DE CVRTE
EPISCOPVM ÆSERNIENSEM.



Micè admodum ac paternè hortaris, Antistes religiosissime, vt D. Virginis laudes celebrare aggrediar, ex quo in huius Transtyberina Basilica Pontificis Maximi liberalis pietas nos, Canonici imposita persona, operari iussit. Profectò implebo iusta tam diuini cultus, nactus eam mentis tranquillitatem, quæ Musis sacratioribus debetur. Ac tu ODARIO *nunc quidem contentus esto, quod annis ab hinc duodecim inequitans concepi, & adhuc ocreatus; neque dum excussa è sagulo niue Puero dictaui. Bina alia in Pronubum eiusdem Magnæ Matris Annulum fui descripturus; sed vniuersam historiam soluto numeris Commentario nuper exposui; nec ad refingenda illa Poëseos tyrocinia potui animum appellere. Huic interim Volumini inserui* CHOROS *aliquot Tra-*

gœdiæ

gœdię illius nostræ, cui Italię *à Gothorum immanitate per Narsetem vindicatæ titulum indideramus. Ab improuiso enim* Schediasmatū *meorum naufragio, quod* Io: Pauli *fratris mei Perusiæ consecutum est obitum, vix hæc tabula venit ad manus, opinor S. Theodori Martyris ope, quem in IV. Actu loquentem fecimus. Interieci autem de* IVSTO LIPSIO HEROICVM, *ne immodicus fortassis Lyricorum excursus aures tuas emendatissimas suboffenderet. Nam* RANAM *postremo loco obstrepere permisi, ne VVanemakero meo infensus viderer, cui olim miseram, & pro Triumpho Litteratorum, in quo Lauri tui perhonorificè meminerat, nostrum reposueram Murium, & Ranarum. Huius scilicet Poëmatis libros priores duos proximè reperi, quos vnà cum ceteris Philologiæ tuæ genio in primis probandos seposui. Vale feliciter. Romæ.*

AD NEAPOLIONEM COMITOLVM PERVSIÆ EPISCOPVM

O D E.

Cum XV. Kal. Martij anni CIↃ. IↃ. CXII. religionis ergò Aedem Lauretanam, recens apud Pilonicum extructam, Auctor inuiseret.

Expirat Astri iam nitor vltimi,
Vmbræ facessunt, excitat aureos
Aurora currus, & colorat

Luce

Luce solum, & latus omne Cæli.
Sic intonabat mi Puer; eia Here
Stat fræna mandens aspera Quadrupes.
Exsurge stratis, destinatam
Carpe viam MARIÆ ad Sacellum.
Aſtutum omitto pigra cubilia;
In terga sumit me Sonipes meus,
Iam Cæsiam Vallem relinquo,
Pontiacam agricolis vocatam.
Vix dum propinquo constiteram lacu.
Obtenta Cælo vis noua nubium,
Nil flante vento, cœpit alba
Vellera continuò rotare.
Obiecta lanæ culmina vestiunt,
Latè laborat campus, & arbores
Ramos reclinant, ac niuali
Omnia præradiant sereno.
Cum verberantur puppibus æquora,
Sic nempe candent; sic & Olympicus
Resplendet Axis, cum Sororem
Lumine Sol grauidam flagellat.
Non vlla claret semita, deuius
Abducor, album totus in Alitem
Est versus Index; ipse canus
Montis apex gradiens videbar.
Quaq. est locorum trames iniquior;
Gressus adurgens, decipitur solo
Fallente Equus. certum ruendi
O quoties adijt periclum!
Seu fræna laxem, siue coërceam,
Non hoc viam securior arripit:
Ceu pinus in ponto æstuante
Fertur, & instabilis mouetur.
Verùm inchoatum currere pertinax
Vestigium; Nix vsq. super ruat
(Inquam) moram nullam incitato
Afferet, aut regredi iubebit.
Votum est, beatam cernere Virginem,
Est illa candor, puraq. castitas:
Quod tempus æquè virginali
Congruat, aut placeat pudori?

Has

Has ipse glebas, ò vtinam, niuis
Sub corde gestem, & quæ pluuia albicat
In veste summa, non recedat
Pectoris interiore ab Æde.
Sic elocutus, sedulus vrgeo:
Nec concitato remige fortius
Torquetur Alnus trans arenas;
Limina cum tetigi verenda.
O sancta Sedes, sueta manipulis
Cælestum adiri, quam colit ætheris
Regina, iuxta vagiente
Cum Puero genitore rerum:
Tu me procella largiter obrutum,
Candente, sacrum suscipe in atrium;
Qui venit huc te propter, optat
Hospitium breuioris horæ.
Valuæ patescunt, & licet ingredi:
Supplex ad aram cernuus accido;
Paulisper hic Diuæ apprecatus
Numen, ad Æditum ora verto.
Velamen, oro, sericeum auferat,
Desideratam quod mihi imaginem
Tentum inuidebat, Virginemq. vt
Pignore cum tenero intuerer.
Flagrante lucet regia lampade,
Stridet canoris ictibus æs cauum;
Demittitur sensim refulgens
Carbasus, & tabulam renudat.
Hem tela vultus, ignea lumina
Matris pudicæ! quæ fouet in sinu
Infantulum, dextra gerentem
Aureolam sobolem roseti.
Cor dulce gestit, lux noua pectoris
Intrat latèbras, intrat inanium
Obliuio. ò, sæclum perenne
Quis det vt Ædiculam frequentem?
Pars namque laudum, cui malè sint pares
Agrestioris Calliopes modi;
Diuisa dicetur quotannis
Ingenij meliore ductu.
Dicam vetustis relligionibus

Adpicta

Adpicta saxis, cultaq. posteris
In colle clementer recliui
Ora pia ætheriæ Parentis.
Tum destitutum post rata temporum
Morem colendi, quem reuocauerit
Antistitis mox NAVPLIONIS
Diuus amor, pietasq. feruens.
Iussit recidi decidua ab domo
Marmor beatum, parieti & alteri
Agglutinari, quem recinxit,
Cuiq. aliam fabricauit Aedem.
Structum Sacellum finibus in tuis
Picens, putabis, quod (memorabile)
Vectum Palæstinis ab oris
Angelicæ posuere classes.
Addam tabellas vndiq. pendulas,
Queis gratiarum vena capacior
Diffusa latè, prænotatur
In MARIAE trepidos clientes.
Febres fugantur, regius irritus
It morbus, ægris pulsa procul lues,
Tormenta torpent, plumbeiq.
Debile opus meditantur enses.
Carcer refractus, corda ferocia
Ponunt Iuuenci, è culmine decidens
Certa a b ruina sospitatur,
Et fruitur radijs diei.
His plura iungam, quot numeraueris
Per regna Nerei monstra natantia,
Tellus quot amnes, quot recondit
Purpureas Tyria vnda conchas.
Nec me pigebit his super addere,
Quæ in me potenter signa patraueris.
Primum coërce præpotentem
Mentis inexplicitæ tumorem.
Dein vellicantum deme cupidinum
Spes fluctuantes: exime vincula,
Pelle ò volucres lancinantes,
Queis nouus excrucior Prometheus.
Da lumen adsit purius ingeni,
Da flumen adsit largius eloqui,

Da

Da vincta mixtim, da soluta
Verba, tuas canere apta laudes.
  Tum qui te honoram transtulit in domum,
Curatq. magnis tollere sumptibus
Augustus Heros, da senecta
Perpetua viridis fruatur.
  Nam semen almum, quod pietas serit
Intaminati Præsulis hospita,
Latè receptum sub piorum
Pectore, quam segetem refundet?
  Accedet vltrò dextra opulentior,
Grandiq. paruam Aedem patrimonio
Ditabit. exemplum exhibebit
Posteritas, imitata primum.
  Aulā refingent marmora Dalmatum,
Cautes Corinthi, trabs & Hymettia;
Molemq. Templi laxiorem
Grex numerosior hinc adibit.
  Qui copioso carmine VIRGINIS
Cātabit Hymnos, & duplicans preces,
Serò vouebit sempiternam
Cælicolum tibi, Præses, Arcem.

In obitum Viri Cl.

IVSTI LIPSII

AD M. ANTONIVM BONCIARIVM

Marce, quod albētes hederas, laurosq. perosus
Tristè fleā, nebulaq. animū perfusus inerti
Mœstū Epos aggrediar, pallensq. hæc tēpora circū
Taxus eat, fæuęq. sonent lugubre Cupressi:
Accipe. Funereas intrantem occasibus oras,
Instar anhelantis Solis; cum fessus Iberas
Sistitur ad portas, tenebrisq. humentibus orbem
Damnat, & erepto patitur squallere sereno:
Lipsiaden oculis refero manantibus, vt mi
Ryphæi vel montis apex, cum Sole liquescens
Nix abit in fluuios; vel cum Titonia coniux
Spargit rore solum, & Nati remin iscitur vmbrā.
Cesserit

Cesserit. ò longum radijs viduata dici
Belgica, deliquiumque tui passura perenne!
Cui tamen hanc cæli faciem nō vnicus orbis
Inuideat; malitq. vices perferre dolorum (Arnus
Rhenus, Thybris, Arar, Schaldis, sed & Adria, &
Queis olim cura vna, vrum certamen; honestas
Attrahere ad partes, doctos bibere auribus im-
Lipsiadæ; genio, ingenio formarier; artes (bres
Duci per tetricas diuinæ Pallados. Ecquo
Obfirmet clypeo trepidam Constantia mentem?
Quid Ius, quid rectū, populos quę vincula fręnēt?
Quod Latij Mauortis opus; quæ machina muros
Eruat, & miseras vacuet cultoribus Vrbes;
Ordine quo se Maiestas Romana bearit;
Amphitheatrales dederint quæ præmia pugnæ;
Quæ vexilla Crucis; quo nodo lactea constet
Religio, legemque fides iungatur in vnam.
Qui sanctæ Genitricis honos, concessaq. ab alto
Non occasuris miracula credita chartis.
Adde etiam adlectos flores; iucunda relatu
Somnia; dispunctas sæclorum ab labe tabellas,
Aeriosque Deos, Genialia Numina, quodque
Dulce Cleanthea post-sparsit fruge volumen.
Omnibus vnus amor vasti regionibus orbis
Talem adsciſſe virum, pendere loquentis ab ore.
Quem nunc, ò felix Belgarum tractus, adēptum
Si gemis, & merito lacrimarum pondere libras,
Est ratio, qua vulnus hians, & aperta cicatrix
Introrsum cedens coëat, veteremque reducat
Admissa compage cutem; partasq. tenebras
Solis ab occidui nebulis, vtcunque quieto
Molle feras animo (quod nobis nēpe negatum)
Dum Mariæ in templis, testudine suspicis alta
Pellitos pendere habitus, animæque labantis
Exuuias: dum marmoreis inclusa sepulchris
Busta tenes, cōcorsq. animæ quod adhæserat ante
Hospitium seruas; vt non saxa inclyta Nili,
Pyramidasq. optes; non sit tibi carior Hermi
Limus, & Eoo quæ pingitur vnda metallo
O ego Dædaleas cur non libratus in alas,
Colle Perusino, Latioque ab limite in orbem
Dese-

Deferor Auguſtum, per Vindelicoſque receſſus
Vel ſeri rutilis florentes faſcibus! iſtoc
Inde Duce, è campis Belgarum ſiſtar ad ædes
Voueri venerande, tuas! cũi docta ſupellex
Obtigit ingenij, vſque adeò dum paruulus heres
Creſcat, & in dotes felix adoleſcat auitas;
Teque altore, recens donetur Lypſius orbi.
Mox tumuli optatam propere deducar ad Aram,
Hic ego Palladias frondes, Lauriq. coronas
Obtulerim, & plena marmor veneratus acerra.
Talibus incipiã. Tu, quem manſura per æuum
Fama ingens operum, felicibus intulit aſtris,
Liuoriſque mali pennas præcidit inanes,
Seu Genijs miſtum ſuperis florentior aura
Tollit, & Empyreis Conſtantia firmat in oris:
Seu fati ad ſummam euectũ iuuat orbibus orbes
Inſpicere adnexos, pendenteſque ordine cauſas;
Abſtruſęq. vices rerum quàm numine operto
Viuant, & certa mundum formidine librent,
Annue Cœleſte ingenium, fandique miniſtra
Iura mihi, pectuſq. capax; quod ſemina rerum
Contineat, commiſſa ſemel: quod flumine largo
Explicet, æternis quicquid committere chartis
Geſtiat. At Genio quoniam non vlla facultas
Defluxiſſe tuo: noli prohibere cadentes
Influxus; queis Belgarum ſi corda tuorum
In morem pluuiæ irroras; rorentur eiſdem
Laurinæ frondes: ſic vati ſpiritus ingens
Affluet, & dignis tolleris in æthera plectris.

ACTVS PRIMI

CHORVS NVCERINORVM SENVM

Ex Tragicomœdia, cui titulus Narses.

OCcidis verè Nucerina pubes,
Occidis: duplex latus haurit enſis;
Hinc fames pallens; inimicus inde
Gepida, & Hunnus.

Sæuijt

Sæuijt longo dominata luctu,
Nos vouens letho moriens egestas?
Vſque ſed noſtris melior ruinis
Damna reſarcit:

Sæuijt plures dominatus annos
Barbarus, cruda veniens ab Vrſa
Nuper in noſtras temerè actus oras,
Bella reſumens.

O malè hoc tractu poſiti Coloni.
Alite ò dira Nucerinus olim
Murus extructus, toties Tyranno
Hoſpes iniquo.

Cauſa quæ Regem pepulit Getarum,
Vt face infeſta volitans per Vrbes
Appulas, agris truculentus iſtis
Arma pararet?

Conditus Cumis cumulus metalli.
Magna vis auri, Totylæ triumphis
Quam diu multis cumularat ante
Martis in vſus.

Prouidus miles properarat illuc
Claſſe cum magna Arſacij Dynaſtæ.
Non adhuc NARSES abitum ferocis
Senſerat Hunni.

Nam triumphatam renouare Romã
Anxius grandi ſtudio parabat
Aſt ubi audiuit Geticos tumultus,
Vrbe receſſit.

Tũ per acceptos gradiens Venafros,
In Theiam plena trahitur pharetra:
Hic Theias dum fors timet obſideri,
Mœnia liquit.

Quis ſcit, an ploret Gothus interemptus?
Noſque ab inſanis tueatur Hunnis
Victor, & morum placido refulgens
Sidere NARSES?

Interim queſtus iuuat integrare;
Flere perpeſſas Patriæ ruinas;
Flere non dignis duplicata ſemper
Funera culpis.

Aleam noſtræ gemimus ſalutis,
Hoſpitem

Hoſpitem qui tam ſequimur Tyrannum,
Quàm Duci Graio pariter remiſſi
Cogimur eſſe
Cogimur verò? potius volentes
Vindicis noſtri veneramur arma.
Simus huic, oro, facilis triumphus;
Ponat huic flammas tumidus Veſeuus
Præbeat palmas viridis Tarbunus.
Nec modò in noſtris dominetur aruis,
Spontè ſed donet Latias ſecures
Itala Verſus.

ACTVS SECVNDI CHORVS.

Animi ambiguo natat Euripo
Spes, an Pacem malit, an Arma.
Vtraque primos res fouer ortus
Totius Orbis, ac Naturæ
Semper in Aeuum ſemina nutrit.
Diſcors vena eduxit Amorem;
Cum puer errans, omnia primis
Miſcuit annis, & qua genitus
Hora eſt infans, ſpeciem ſumpſit,
Atque immanis membra Gigantis.
Amor in cunis, & data Pax ſoror
Finxere Axes; atque ibi formas
Hominum, Volucrum, Quadrupedantum
Impoſuerunt. mobile ſidus
Nunc præſcripto micuit gyro,
Nunc inſtabili ſede rotatur.
Pars hæc gelidam vergit ad Arcton
Pars hæc tepidos vergit ad Auſtros
Molem ætheriam biſſena ligant
Sidera, zona quæ vna coercet,
Qua ſol graditur, quaque ſubinde
Quolibet errat Cynthia menſe.
Adde infra ignes, aëris oras,
Aequora Ponti piſce repleta,
Fœta animantibus æquora terræ
Omnia nexu Pax continuit

Religata pio, gremioq; vno
Latuere omnia. sed decus haud dum
Pinxerat orbem: cuncta tenebris
Oppressa tuis: cuncta sereno
Mox sparsa suo. Permissa oculis
Nulla facultas spectandi almæ
Pignora Pacis, & Zelotypi
Pignora Amoris. tum dissidium
Dulce subortum. Machina Cæli
Protenta suis longè est brachijs,
Elementa locis sedere suis:
Et Pax discors intulit Axi,
Quicquid tenebris fulget opacis,
Quicquid roseo fulgurat in die.
Concors odium flagrat Amore.
Si pro titulis pugna fit anceps,
Attamen vnum spectat Amorem.
Et cum gradibus stent cuncta suis,
Odium regnat, regnat Amorque:
Cur nos erimus bella perosi,
Parient pulchram si illa Quietem?
Huic est cordi preciosa Quies:
Olli Martem dicta propinant
Aspera Theiæ. Pax Dissidij
Sæui fluctu innabit Amoris.
Pergat grato splendida cultu
Regina alacris, placida effundat
Odij in campum semen Amoris.
(Nimens semet prouida fallit)
Messem belli secura leget.
Scilicet oculo leni viderit
Sociam pacem latitans Bellum;
Et rixæ memor vsque prioris,
Vindex paulo post insurget,
Conspiransq. in fœdera Pacis,
Placido Pacem Marte lacesset.



ACTVS

ACTVS TERTII CHORVS.

Eheu progenies tristis Adamidum,
Cui nō damna modò fas vetus intulit
Abruptum, auspice dira
Turpis luxuriæ gulæ,
Sed classes Lemurum stirps Phlegethontia
Complures calices crimine sordidos,
Sparsos melle, dederunt,
Mente vt combiberent rudi.
Noxa primigena mortis onus graue
Orbatus sacri luminis ignibus,
Vmbris viuere adactus,
Vilis sensit Homuncio.
Dein terram rigidis vertere sarculis
Compulsus, tribulos quæ dedit asperos,
Et trux facta nouerca est,
Quæ mitis fuerat Parens.
Qui verò pepulit sacra refringere
Almi iussa Dei terribilis Draco,
Cępit fraude, doloque
Cæca innectere pectora.
Hinc illum impatiens obruit vltio,
Nunc falsi species blandior allicit;
Lapsu illum manifesto
In præceps dat Iniquitas.
Nec sat sensifico si mala fomiti
Detrimenta ferat, prauaq. femina,
Tetro imbuta veneno,
Passim nequitiæ ferat.
Nimirum Eumenidum proditus è sinu,
Ficta terrigenum cinctus imagine;
Circum Spiritus errat,
Nos & decipit abditus.
Ac nunc purpureo syrmate fulgurat,
Vultus virgineos, oràue mascula
Miró nomine inumbrans,
Et se non referens sibi.
Nunc vult de tenui plebe clientium,

Aut de sollicito Militis agmine,
Ignota arte videri,
Lenè imponat vt omnibus.
Sicut per varias somnus imagines
Vnus, Cimmerio monte reconditus,
Ludit, quos per amœnam
Noctem somnia recreant.
Huius multiplices namque satellites
Parent Imperijs. Ille fit horridus
Serpens, atque volucris,
Ponti aut cærulei incola;
Fœcundumque alius vertitur in solum,
Is saxa atra refert, lata vel æquora.
Vel fallaciter iste
Humanam faciem exhibet.
At quàm falsa breui somnia lusitant!
Quàm non Imperium longius obtinent!
Nam Mens robore pollens,
Se à somno ipsa recolligit.
Tunc Sol mane nouo fluctibus efferens
Crines auricomos, nubila dissecat
Flammato ense, iubetque
Noctem diffugere procul.
Tunc lustrata hilari luce cubilia
Noctis somniferæ mancipia euocant,
Tunc fucata notantur
Spectra, ac risus oboritur.
Sic porrò reteget lampas Olympica
Astus tartareos, ictus & ignea
Veri luce Tonantis,
Se Dæmon procul auferet.
Celi liquit in id culmina Cappadox,
Quondm militiæ præsidium suæ
Inuictus THEODORVS,
Palma martyrij inclytus.
Sola contuderit voce ferociam
Nigrantis famuli, trudet in abdita
Orci: & iam pede fausto
Huc vestigia promouet.

ABSO-

ABSOLVTO DRAMATE IN SCENA EXTRA ORCHESTRAM.

Italia triumphans, Chorus Latinarum Virginum.

Ita. IO triumphe; canere festiuum impero
Latiæ Puellæ. pectine impulso diem:
Qua Gotthicis ergastulis me conditam
Arsacius Heros libera adseruit manu.
Cho. Aquilis vectam Cæsareis Heram
Te plaudenti tollimus ore:
Quæque iacueras despecta diu,
Per generosi prælia Principis,
Titulis priscæ reddita adoreæ,
Nobis meritò inferris Olympo.
Ita. Licuit comarum fingere impexã struẽ,
Augere & auro & gemmulis; adnectere
Auribus elenchos, & senectam ponere.
Fessos per artus flamma iuuenilis calet,
Et Persa Victor præbuit vires nouas:
Quales perusta cinnama nemoribus Arabum,
Præbent nouando Solis agnati Aliti.
Cho. Æuo nunquam finis eunti
Dabitur fatis. scripta Adamante
Iura regendi, iura triumph-
andi seruant perpetua ardui
Tabularia Cęli: æternùm exige
Vicibus non obnoxia Mundi.
Ita. Detersa nubes squallida veterum cladium,
Hyems malorum nulla nimirum est super:
Fruor sereno mentis. adduxit procul
Agens Pelasgus Cæsar. Huic trabeas, togas,
Et bellicosæ voueo Militiæ decus,
Hic templa Iani claudit, in medio iubet
Florere palmas Thybride, & pacem gradu
Celeri per Vrbem septicollem currere.
Cho. Pax, quæ nostris tractibus est diu

Trucibus, fœdis pulsa Gothunnis;
Cumque Astrça, scelus humanum
Indignata, reliquerat Orbem
NARSETE rediijt ecce volente,
Et pugnas pugnare parato.

Ita. Cumæa viuat sæcla vindex strenuus,
Collata nobis dona sint perennia;
Vt esse cupio perpetes laudes tuas.
Defecerit stirps hospita: extinctos Getas
Hæc norit ætas, & Nepotum posteri.
Salubre Cælum, lene, clemens, & opulens,
(Italis quod altus Iuppiter populis dedit)
Nunquã bibat glacialis, & toruus Scytha.

Cho. Gens ea turpi barbara cultu,
Non assueta suauibus a[illegible];
Euxinum colat, atque Propontida;
Et vicina Polo arua niuali;
Vbi cæruleis fluctibus absens
Gelida Arctophilax plaustra supinat.

Ita. Attollat ægram grauibus oppressam malis
Mea ROMA frõtẽ. Quod semel NARSES, adhuc
Anceps habendæ firmius victoriæ,
Præstare cœpit, mente perficiet pia
Præclarius, felicius, maturius.
Sic vt vetustam iam redonandus nitor,
Nec conferendus, fortiter speciem obruat.

Cho. Quæque ab Totyla, quæque Alarico,
Quæ Vandalicis passa sub armis
Damna est magni Patria Romuli.
Quicquid & vnquam iacturæ hausit:
Omne resarciet operum NARSES
Autor, & Instaurator, & Aemulus.

Ita. Huic pro beato munere, grates opus
Vel mille reddam, nobilem palmam osculer,
Quæ tot patrauit prælia: abijciam ad pedes
Memet; receptum fatear illius manu,
Quantum triumphi ducere hoc loci datur;
Quantumque in alijs dabitur. Aequabit mare,
Quod brachijs diffunditur, & humum irrigat
Latè hac, & illac: fulmen inuictum cluat
Nostras per Vrbes, quod feros strauit Getas,
Alpesque

Alpesque fama transuolet, gentes metu
Liget rigenti; stent suo clausæ solo,
Aquilasque nostras prouocare exhorreant.
Cho. An temerè vllus vulgo Ausonidum
Arma superbo Marte lacessat?
Nos nos peltis vel falcatis
In bello ostendemus Amazonas.
Nouere enses stringere Virgines,
Et direptis spolia ex Vrbibus
Rerum consecrare memoriæ.
Primo agnoscat pro re supplices
Dux collata: mox quæ superant,
Ad firmandos hosce triumphos,
Pectore forti bella geramus.

RANA NERONIANA.

DEfieram Murum, Ranarumque acta referre,
Abdera super Vrbe; fugam cũ fessa pararet
Cynthia, luciferis sedem cessura quadrigis.
Protinus in somnum rapior, penetratq. per artus
Blanda quies, vigilemque animi consopijt altè
Aestum, Pierides quem molliter antè ciebant:
Ecce autem specie prorsus deludor eadem,
Qua plenè Liber infartus. Mus, Rana recursat,
Et somno vix somnus adest. exinde flagellum
Sumere Rana mihi visa est; aliasque fugare,
Rana alijs longè maior, diductior ore,
Asperior scapulis, ac ventre tumentior. Illa
Me excusso obturbat lecto, toruumque tuetur:
Accipere & flagro mea mēbra parabat. at heus tu
Rana procax (inquã) quòd te, tua signa, triũphos
Concinui; pretium facti mihi tale rependis?
Vah stolidam Musam! cui deerant quippe canēdi
Argumenta; leues ni Murum pangeret ausus,
Ranarumque, & ridiculam se ostenderet vsque
Vatum centurijs. Nec enim modulantis Homeri
Forma istæc prolixi operis, seu prælia dicat
Ranarum, stupidũ aut Iuuenē; seu Musa Maroni
Insinuet Culicem, aut alijs leuiora canantur.

Pœnitet incœpti, expleti. Quòd si aspera pergas
Hæc mecū nō digna agere, aut Vulcanus aduret,
Aut Thybris gremio excipet, quæ carmina cūq;
De vobis sunt scripta mihi. Cęli ardua testor
Sidera, quæ hoc noctis frustrà suasere soporem.
Quem quia contēpsi: fors hæc mihi concitus ira
Intentat, prohibetque animo cepisse quietem.
Non somnus, nō astra negāt, Rana excipit. Ipsa
Ipsa ego sum, toties quæ sum tibi, multa canēti,
Præterita. an latui in Libris, nec cognitus vsquā
Nostræ stirpis honor; quem sic tua inertia posset
Negligere in totū. sed enim quis grande Neronis
Ignorat nomen, quæ Romæ, & quanta patrarit
Egregia? an cuiquam non cognita, nupta Neroni
Rubra Vestalis? seruilis sanguinis Acte?
Exectusque Puer? quem dos & flammea & ignis
Nuptarum iunxere choris; violentaque Matris
Fœdera? non nè Parens ipse exoptauit haberi?
Nō vir vt in thalamos generosam duceret: ast vt
Ipse in connubij traheretur fœdus & omen,
Maternumque decus. sic sese emasculat vltrò,
Adscitisque herbis, medicatisque artibus, altum
Adspicit augeri ventrem, grauidumque fatetur
Semet, & aurato vult esse Puerpera lecto.
Ipsa coaxo intus, gignorque in ventre Neronis
Rana perillustri de Patre oriunda propago.
Tanto alijs præstans re, nomine, nobiliorque,
Quantò communi non me Natura sub auras
Protulit ostiolo. sed quæ mihi Ianua primum
Fulserit, an quæ postico stat pariete, an vncas
Quæ nares iacet infra, vlli non dicere fas sit.
Tu nè autem talem, ac tantā modulamine longo
Ranarum in turmis, stultè obliuisceris? ergò
Nil generis me stemma iuuat? sed scilicet hoc est,
Quod vestrum vox crebra sonat, licitūq. fatetur,
VATI opere in lōgo laudatum obrepere somnū.
Haud sōnū mea sceptra volūt, nec debui anhelo
Decidere à cursu numeratæ classis. an illas
E Phrygia, Lybia, Thebis, rigidaque Seripho,
Gallorumque sinu accersas: me totius Orbis
In luce, in sacra terrarum parte relictam,
Tra-

Tractantem Imperij falces, solioque superbam
Turpiter ex animo eijcias? Quòd si esse putarem
Propositum tibi, me indictā velle vsq. Camenis
Ire tuis, nigraque meum decus abdere nocte:
Irruerem subitò in fauces, ac ventre recepta
Te pigro facerem prægnantem incumbere lecto.
Intremui ad grauidi nomē. Nū Laura vocabor,
Qui modo Laurus eram? dixi. supplexq. rogaui,
Leniretque animum, motamq. remitteret iram.
Nam mihi consultò factum, quod Rana Neronis
Haud alijs sit mixta. decent vilissima vulgus
Stemmata, magna decent magnos. quid nobilis Visus
Cum Pecude, aut lucens aurum cū faece paludis?
Sint aliæ in turba. nomen post lingua sonabit
Vna tuum, laudesque nouo cum fœnore reddā.
Sic fregi flagrantem iram, sic mollè quieui:
Exurgensque toro, Phœbi redeuntis in ortu,
Cum risu insani cecini portenta Neronis.

N I H I L *Kal. Ian.*

IAnus adest, festæ poscunt sua dona Kalendæ:
Munus abest, festis q̄ possim offerre Kalēdis:
Siccine Castalius nobis exaruit humor?
Vsq; adeò ingenij nostri est exhausta facultas,
Immunem vt videat redeuntis Ianitor anni?
Quòd nusquā est potius noua per vestigia quærā.
Ecce autem partes se se dum versat in omnes,
Inuenit mea Musa NIHIL: ne despice munus:
Nam Nihil est gemmis Nihil est pretiosius auro.
Huc animū, huc igitur vultus aduerte benignos:
Res ea nunc canitur, quæ nulli audita priorum,
Ausonij & Graij dixerunt cetera Vates:
Ausoniæ indictum Nihil est, Grecæq. Camenæ.
E Cælo quæcunque Ceres sua prospicit arua,
Aut Genitor liquidis Orbem complectitur vlnis
Oceanus, Nihil interitus & originis expers:
Immortale Nihil, Nihil omni ex parte beatum.
Conspectu lucis Nihil est iucundius almæ,

Vere Nihil, Nihil irriguo formosius horto,
Floridius pratis, Zephyri clementius aura,
Nobilius Nihil est magnorum sanguine Regum.
Firmius est adamãte Nihil, chalybumq. metallis.
Felix cui Nihil est (fuerant hæc vota Tibullo)
Non timet insidias; fures, incendia temnit,
Sollicitas sequitur nullo sub iudice lites.
Ille ipse, intrepidis qui subiicit omnia plantis,
Zenonis sapiens Nihil admiratur, & optat,
Socraticique gregis fuit ista scientia quondam
Scire Nihil: studio cui nunc incumbitur vni:
Nec quidquã in ludo mauult didicisse Iuuẽtus,
Ad magnas quia ducit opes & culmẽ honorum.
Nosce Nihil, nosces fertur quod Pythagoreæ
Grano hærere fabæ, cui vox adimenta negantis.
Multi Mercurio freti duce, viscera terræ
Dura liquefaciunt, simul & patrimonia misent,
Arcano instantes operi, & carbonibus atris.
Qui tandem exhausti damnis, fractique labore,
Inueniunt, atque inuentum Nihil vsq. requirũt.
Hoc dimetiri non vlla decempeda possit,
Non numeret, Lybiæ numerum qui callet arenę.
Vel Phœbo ignotũ Nihil est: Nihil altius Astris.
Tuque, tibi licet eximium sit mentis acumen,
Omnem in naturam penetrans, & in abdita rerũ,
Pace tua Memmi, Nihil ignorare videris:
Sole tamen Nihil est, & puro clarius igni,
Tange Nihil, dicesq. Nihil sine corpore tangi.
Cerne Nihil, cerni dices Nihil absque colore.
Surdum audit, loquiturq. Nihil sine voce, volatq.
Absq. ope pẽnarũ, & graditur sine cruribus vllis.
Absque loco, motuque Nihil per inane vagatur,
Humano generi vtilius Nihil arte medendi.
Ne rombos igitur, neu thessala murmura tentet,
Idalia vacuum traiectus arundine pectus;
Neu legat Idæo Dictæum in vertice gramen:
Vulneribus sæui Nihil auxiliatur Amoris.
Vexerit & quãuis trans mœstas portitor vndas,
Ad Superos imo Nihil hunc reuocabit ab Orco.
Inferni Nihil inflectit præcordia Regis,
Parcarumq. colos & inexorabile pensum.

Obruta

Obruta Phlegręis campis Titania pubes
Fulmineo sensit Nihil esse potentius ictu.
Porrigitur magni Nihil extra mœnia mundi,
Dijq. Nihil metuunt. Quid longo carmine plura
Commemorem? Virtute Nihil præstantius ipsa,
Splendidiusq. Nihil: Nihil est Ioue deniq. maius.
Sed tempus finem argutis imponere nugis;
Ne tibi, si multa laudem mea munera charta,
De Nihilo Nihili pariant fastidia versus.

AD V.C.

IO: BAPTISTAM LAVRVM PERVSINVM

Felix Contelorius.

DVm Musa surgit, Barbite, mobiles
Intende neruos; non prope fontium
Dulces Camenas, picta Veris
Agmina purpurei sonabis;
Mistoue flores murice nobiles;
Non imperanti prona Fauonio
Prata eloqueris, fulgidoq.
Pulchra capillitio rosarum:
LAVRVM sonoris effer honoribus,
Apollinarem concine lauream:
Sortitus à cunis micantem
Seruat adhuc nitidus comarum
LAVRVS nitorem, Laurus Apolline
Deuotus ardet, Laurus Apollini
Amica frondentes in æstu,
In pluuijs, Boreaq. amictus
Pandit, nec horret tela sonantia:
Vtrumq. præfert nomen Apollinis
Vates, & arbos: Impedire
Laurus amat vigil inde crines,
At impediri, qui cecinit nouam
Deducta in Vrbem flumina, te Duce
O grande Terrarum, omniumque

PAVLE decus, columenque Romæ,
Nunc Exquilino fulgida vertice
Magno recenset Templa volumine,
Et gloriosum gestienti
Pingit opus calamo, grauemque.
Refert sonanti carmine machinam,
Et ducta Cœlo culmina proximo,
Et quam reliquit pictor, ipse
Dat niueis animam figuris.
Quarè ò nitenti, barbite, laurea
Præcinge Vatis fusile per genas
Crinale munus, tuq. honores
Redde comis operosa Laurus.
Lauro micabit LAVRVS, & inuicem
LAVRO nitebit Laurus, ò amabilis
Iucunda naturæ voluptas:
Quis neget in vario latentes
Inesse vires nomine? sed tamen
Rotatur ætas, nomina corruunt,
Nihil sit æternum, sub ipsis
Inclite nominibus perimus.
Vates Caystri dulcior alite:
Dum scribis aurei sæcula Principis,
Multa canis de nocte: Viuo
Otia sunt homini sepulchrum.



IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI

VRBANO VIII.

Ab intimo cubiculo,

DE FABRICATIONE CALCIS LIBER.

Ad Illustris. D.

D. BARTHOLOMAEVM CARDINALEM CAESIVM.



Vàm vereor, ne meus hic fœtus Homericum Astyanactem imitetur, vbi prodierit in conspectum tuum, & in istam purpuram oculos defixerit. Ille enim iturus in complexum Patris, territus armorum fulgore ac crista è galeæ fastigio minitante, reflexit se in Nutricis sinum. Itaq. Hector sublatam è capite galeam humi deposuit, & Puerum blandè permulsit. Quid ni verò ego meticuloso infanti precer abs te, vt paululum deposita, quam sustines, persona; eum te illi exhibeas, quem prorsus agnoui in ijs litteris, quibus me humanissimè nuper appellasti? Frontem igitur exporrige, atq. hilari vultu infantulum amplectere; vitalem non futurum, si reij-

si reijcias. Dedi in vlnis gestandum Bernardo, Romam ad te proficiscenti; eò libentius, quòd hominem dimittere cum inani epistola, religio erat. Is oculatus testis celeriter educti partus, excusabit distorta membra, & obstetricis negligenter administratum munus: egomet cetera, si tanti sint; sed coram, cum volueris: ac nos sanè quidquid Vigiliarum nobis hac æstate maturuerit, veluti aliundè acceptam pecuniam cupimus aliquandò præsentes tibi repræsentare; &, quod è longinquo facimus, Deum pro tua incolumitate, in sanctissimo Orbis Asylo, enixè precari. Vale è Vallepontio V. idus Februarij MDCXI.

AD IO: BAPTISTAM LAVRVM PHILOSOPH. ET THEOL. DOCT.

De Trinoctio.

Franciscus Marchetalius.

Quã lepidæ sũt, quas celebras modo carmine Noctes!
Quã doctę, implesti quas Sophię arte graui!
Quàm claræ, eloquij lumen queis nobilis infers!
Clarus vt hinc, doctus sis, lepidusq. palam.
Hæc ego cum tacitè mecum sic colligo; Noctes
Esse tuas non iam dico, sed esse Dies.



EX

EX LIBRO QVINTO VARIORVM CARMINVM BANDINI GVALFREDVCCII PISTORIENSIS

è Societate Iesu.

De Titanopœia IO: BAPTISTAE LAVRI, *seu Libro* de fabricatione Calcis.



Os, & dura silex, reuolutaq; saxa per amnes,
Molle mihi gluten qua ratione parent:
Vtilibus numeris disco, te Laure per omnem
Materiam, atque artem ducere docte manus.
Pergama non Phœbũ iactent, nõ Orphea Thebe:
Mœnia consurgent firmius arte tua.

DE EODEM.

HAnnibalis iussu cinefecit Mulciber Alpes;
Tu montes liquidos ignibus esse iubes.
Nil miror Alpinos cineres: rapiuntur ab Euris;
Et tibi Carthago fata suprema fauent.
Qui mollire docet mansura ad mœnia montes,
Hunc sua vel Dido præferat Hannibali.

DE EODEM.

CRederet hoc quisquã? cocto de Mõte bitumẽ
Quæritur, vt lapides saxa soluta ligent.
Artis opus quantæ, Vulcano fingere mores,
Molliaq; in cotes indere sensa rogis?
Ars tua, Laure, potest nimirũ has cõdere leges:
Ignibus & saxis tu facis ingenium.

Cælij

CÆLII SYMPOSII
vetustissimi Aenigmatum Scriptoris.
Aenigma LXXV.

* CALX.

EVasi flammas, ignis tormenta * profugi ;
Ipsa medela meo pugnat contraria fato :
* Frigesco lymphis*, calidis incendor ab vndis.
* CELX. * refugi * ardeo de * medijs.

AD IO: BAPTISTAM LAVRVM

Octauius Marionus.

FEbruus agnoscit scribentem, præbet & ansam
Scribendi, FORNAX non procul IGNE RV-
At tibi florescēs Ver, Autūnusq. probāt. (BENS.
Aestas vitatur, nulla probatur Hyems.
Qui vero hæc cōstāt? cōstāt verè arbitror, Aestus
MENTIS erat, Fornax ignea MENTIS erat.
Hac tibi quatriduo Lapis est fornace solutus,
Eruta scrobs, ligna iniecta, dataq. faces.
Magna velim nulloq. eadem complenda labore?
MENS fœcunda sui, MENS mihi sola dabit.

QVÆ IN LIBRO
de fabricatione calcis.

terræ visceribus, & quare lapidosi montes.
6 Generari in supremo aëris tractu, & pluere.
7 Vnde humi saxa, & terræ situm mutari.
8 Lapides cuiusmodi eligendi.
9 Origo rubri lapidis è fabula Lapithum.
10 De saxis ignem concipientibus.
11 Origo alia è fabula Titanum.
12 De lignis cędendis.
13 Quæsita in toto opere fornaceo.
14 Fornax calearia affabrè extruenda ex repetita altius occasione.
15 A Dijs veterum omnia venalia.
16 Neptunus & Apollo calcem parant pro Troia exędificanda, hic ligna & lapides curat, ille fornacem extruit.
17 Scrobes duas debere fieri, alteram pro saxis, pro lignis alteram cum ostiolo.
18 Accersitur Vulcanus, & artificiosè opus comparatur.
19 Lunæ tempus crescentis aut senescentis obseruandum.
20 Trinoctium esse seruandum.
21 Nox prima, quæ & Vulcani.
22 Nox secunda, quæ & Neptuni.
23 Nox tertia, quæ & tribus communis.
24 Encomium lapidis ex quo Calx.
25 Perfectæ Calcis indicia, & opere absoluto, quid Dij.

TITANOPOEIA,

SIVE

DE FABRICATIONE CALCIS

LIBER.

FORNAX igne rubens, liquefactaq. marmora flammis,
Vnde bitumineo Babylonia mœnia limo
Inter-strata, minus suspirat serior ætas,

Cal-

Calliopen, an Calciopen? accendere nostram
Inspecta nuper fouea cœpere, coquente
Aggestos lapides, fumumq. sub astra vomente.
Atque ea, cum nostris cōtermina Mōtibus esset,
Sæpe petita mihi, dum Sol proferret Eoo
Luce noua madidos currus, dum clarus Olympi
Iam medium legeret, fluctusq. intraret Iberos,
Sæpe petita mihi. Quantum res postulet artis,
Quàm vigil excubitor, Quanta experiētia subsit,
Narrare aggrediar, tua si mihi CÆSIA Pallas
Annuat, ò Princeps: & fas mihi numine dextro
Annuat. Illa tuas venerabilis incolit Arces,
Lætaq. PONTIACÆ tenet ardua culmina VAL-
Qua curis animo exclusis, lōgèq. remotus (LIS,
Vrbano à strepitu, & stolidi caligine vulgi,
Luce fruor Cęli placida & leni aëris haustu;
Seu classes libeat Superas, altèq. repostum
Aethera scrutari, mentemq. euoluere terni
Numinis, in terno dominantis suauiter Orbe,
Siue Orbes infra positos, qua lege recurrant
Sidera, quid certo signent coëuntia gyro:
Quid fulmen, Ventosq. creet, gelidasq. pruinas,
Qui vigor inclusus sola conciret, æquora tollat,
Quæ sit origo Maris, quo fonte exuberet aurum,
Vnde metallorum fluor æstuet, vnde lapilli
Conglacient: qui, si medios iactentur in ignes,
Dissiliunt, medijsq. tamen flammantur in vndis.
Ergo age, susceptū numeris decurrere laborē
Calciopei nam Pallas adest & CÆSIVS Heros.
Si vulgata iuuant, at dulcibus illa Camenis
Nunquā dicta, iuuant: Naturæq. abdita vulgus
In re vulgata ignorat, quæ Musa recludes.
Nobis dulcè adeò est, saxis lento igne sepultis,
Ferre facem calami, celeresq. educere in auras,
Principiò quoniam ratio nec temporis vna,
Nec ratio vna annis quo mobilis Aetna locetur.
Sunt quibus aut Tauri lucens arrideat Astrum:
Aut Geminorum Astrū: quæ cū percurrit Apollo,
Tunc præstet, scrobe suffossa, congesta cremare
Marmora, quæ modico descēdēs Iuppiter imbri
Molliter accendat, cum fortiter obruat idem,

Vtraque

Vtraque brumali redimitus tempora nimbo.
Sunt & qui Erigonem, spatiumue æquale dierũ,
Cum se se iusto librant examine chelæ,
Malint; quòd nimio Cælum nec candeat æstu,
Nec latè assiduis nigrescat nubibus aër:
Sed per vtrumq. volet confine, rotantis Olympi
Turbo. tum multo foueant fœlicius ignem,
Cæsa sub Autumnum siluas quę ligna per amplas
Aruerint, biberintq. altum de Sole calorem.
At vitetur Hyems, numquam nimbosa probetur
Tempestas anni. Cęlum fremat, humida flumen
Aëris effundat regio, latè occupet agros:
Frigore cogantur nubes, fabrisq. repulsæ
In floccos abeant Niuiũ, & iuga summa tegẽtes
Armenta, atq. homines vexẽt: de carcere aperto
Aeolus immittat Ventos, qui claustra refringant
Terrarum, & gemini conuellant cardinis axes;
At non saxorum poterunt mi abducere molem,
Quã temerè arctarim fouea, aut infringere flãmã,
Quã temerè arsuris substernere cautibus ausim.
Nulla mihi fornax hac tempestate fauillas
Eiectet, nullæq. domus spectentur in Vrbe,
Ædibus optetur si Calx ea sola struendis.
Sed quamquã saxis Aestas est apta coquendis,
Attериturq. lapis duplici resolutus ab igne,
Mulciberis nempe ac Solis: tamẽ impedit æstus
Conductas operas, quæcunq. ligonibus instant
Cõpactam subuertere humum, quas vna vehẽdi
Cura premit lapidis, quæ robora subdere & or-
Igneaq. in triduum debẽt alimẽta referre. (nos,
His faciem exurat feruor, de corpore sudor
Multus eam ponãt animã, calidèq. gelascãt. (lores
2 Vtq. Hyemis fugere vsq. minas, nimiosq. ca-
Ingens cura mihi: sic non plaga quælibet Orbis
Apta operi. An pulsos crebris Aquilonibus agros
An Zephyros, Eurosue legam, tractumue tepentẽ
Limitis Austrini? nullos vitare laborem,
Atq. aliquem vitare tamen. Non ipse furenti
Obijciam Boreæ caueam, qui examine magno
Militis Arctoi ventosis opprimat armis
Saxosum tumulum, & tractim in sublime volãtẽ
Vul-

Valcanum telo excipiat; neruo vnde reciso,
Planta alia claudus, se se super incidat hospes
Infelix, pereatq. calor, cautesq. rigescant.
3 Idcircò latebras aut per decliuia montis
Effodiam, quà non spectentur plaustra Bootæ:
Aut penitus cliuos infra; seu flumina iuxta,
Decurrant, seu se teneris passim arua supinent
Cespitibus. tantùm terram ne fluxilis humor
Ambiat, & nullo noceant humore lacunæ.
Haud quicquã magis extructis fornacibus obstet,
Compositusq. silex hac re ruat impete magno,
Et circumiectæ recidant in prona cathedræ.
4 Vidi ego, corticibus terræ lõgè vsq. cauatis,
Non animaduerso terræ sudore labantis,
Effossos mira arte specus; grandiq. labore
Inductos lapides, subiectoq. igne calentes.
Ecce autem, dũ flamma tenax per viscera serpit
Obstantum silicum, subitò subsidere visa est
Pars ea, qua fornix è marmore ducitur, & dat
Fundamenta operi, & saxa in sublime leuãtur:
Iam casu crepitant cautes, iam terra recedens
Structũ euertit opus. Quid mirum? fusus in artus
Terræ cum fons ignis ijt, restinguitur illac,
Hac cogit sudare solum, venæq. latentes
Maiores in fluxu, ignem conantur in hostem
Stringere tela. loci ingenium vel reddere sueuit
Exiguos rores, incompertumq. liquorem.
Esto igitur sudore vacans, vligine nulla
Perfluat: exterius durescat cortice tellus,
Interius durescat item, nec glarea solum
Summa tegat, bibulæue sinu spargantur arenæ:
Difficiles cliui existant, per cuncta notetur
Calculus asperior spatia, & compagine tota
Tophus inhorrescat, Rubrio. sit æmula ponti
Terra, trahatq. hilarem, Phœbo percocta, colorẽ.
5 Nec mihi discrimẽ saxorũ haud adsit, in oẽs
Non æquè afficiar lapides, atq. ossa Parentis
Cuncta obeã, no cuncta legã. Nã fossile marmor,
Quod calidũ suffimen alit, crassoq; grauatur
Pondere, speratos veniat non semper ad vsus:
Vt multò illa minus, cæcis inclusa metalla
In

In specubus, quibus ignauus Pater adfuit humor
Aëreo feruore calens, faciliq. refluxu
Exponens madidas ad lenta coagula venas.
Nec quales passim eruimus de Monte lapillos,
Hunc Natura licet sibi fecerit, ad sola terræ
Densanda, vt vastis compages necteret antris,
Arceret fluuiorum iras, fluctusq. tumentes
Frangeret, ac solido se tegmine tuta referret
Sæpius introrsus, latebrosaq. regna subiret,
Ad supplenda nouis vinacia sulphura riuis,
Et viui Argenti latices tacito igne coquendos,
Vnde nitens (fax, nex hominũ) cõcresceret aurũ
6 An cautes arcesse velim, quas vsta calore
Vltima progignit regio? cum terreus altè
Halitus euehitur, visco oblitus, omne refusus,
Qui face torrenti flagrans, dimittier ab se
Sensim, quod tenue est, sentit; crassiq. vaporis
Quod superest, coit in lapidem, celeriq. rotatu
Præcipitat, dirumq. affert mortalibus omen.
Non secus humanos ea pestis sæuit in artus,
Viscosum cum gluten adest in renibus, vlcus
Intus inardescens vbi tenuia cuncta resoluit,
Atque abit in lapidẽ, quod crassius intus inerrat,
Hinc dolor in venas furit acer, pungit acutis
Atra lues iaculis: odere theatra, penates,
Nox inimica illis, inimicaq. lucis imago.
Nouimus accenso pluere ęthere grandia saxa,
Qualia Niliacas memorauit visa per Vrbes
Fama prior, mox Insubrum renouauit in aruis,
Albani Colles, Hispanis Bætica campis,
Roma, & Amiternum, Ligures & Aricia nouit,
Monstriq. exhibeat speciẽ, quam vulgus adoret,
Excussa è Cælo, violento turbine moles
Grandinis. hanc glacie impactam, se seq. rotantẽ,
Euoluisse ferunt rigidas per inania cotes.
Tantus erat lentor latera intra nubis opacæ,
Tantaque frigoribus quatientibus indita virtus.
7 His ergo atque alijs Naturæ legibus, altos
Credibile est cumulos silicũ per tesqua, per arua,
Per iuga compositos; vt non sileatur operta
Cos, caua depressæ discurrens viscera terræ,
Quæue

Quæue cubat iuxta fluuios, variosq. per annos
Littora curua super, muscoso increscit aceruo.
Seu quas vnda trahit, minuens fastigia furtim;
Aggeribusq. locans se se vltrò impellit, & agros
Occupat, & surgunt, fuerant qua littora, ripæ.
Vnde vices tellus subit irrequieta, nouatq.
Vsque nouas facies. ex quo cognoscere promptũ,
Nunc, vbi vorticibus præterfluit vnda retortis,
Nuda fuisse soli terga; ast vbi terra iacet nunc,
Æquoreos innasse lacus, lapidosaq. quondam
Culmina subsedisse, aut fluctibus obruta ponti:
Inde vagos amnes, saxis in ventre reductis,
Acriter influere, spatioso margine passim
Linquere, & hospitibus cõmittere marmora ri- (pis.
8 Lex verò ignoti lapidis mihi certa legendi
Esto ea: candentem species imitetur amictum,
Vel dura in tacitis spectetur fistula venis,
Sit collecta silex effossa è cautè, vel ipsis
Obijcibus Torrentum, & vortice pulsa sonanti.
Nec non scruposos tecum rimare molares,
Collectosq. manu, violenta scinde bipenni.
Adijce, quæ rutilo signantur murice saxa,
Ac vultu semet produnt: his ignea fornax
Plenè infarta, dabit preciosam sedula massam,
Et ditabit Herum. Latitant in rupe minuta
Flammeoli ductus, quos vt complexibus hausit
Vis maior fabri Ætnæi, laxantur, & arctis
Vsque tamen constant nodis, nebulasq. refudãt.
9 Mõstrauere olim Lapithũ primi illita cocco
Talia saxa, vbi Centauros strauere furentes:
Nam quia de saxis illorum surgit origo,
Vnde etiam illatum nomen, cum fercula inirẽt,
Pirithoiq. epulas, Bacchoq. impensius essent
Vsi purpureo, primum traxere colorem
E vino, inde graues iaculati fortiter hastas,
Fumantesq. scyphos inimica in prælia; quotquot
Hoc bello posuere animas, aut debita postquam
Fata die posuere suo, corpusq. paternis
Mandauere agris, vixere in origine prisca
Antiqui Lapithæ Lapides, sublataq. pridem
Progenies dura è viuis, sub imagine saxi

Viuit

Viuit adhuc, vastamq. vterũ fornacibus explet.
10 Sed quæ de gremio fluuiorum marmora viua
Colligimus, foueæq. iniecta, incensa repente
Exsiliunt, num Sithonijs ducuntur ab aruis?
Algentem iuxta Thracen, cognomine Pontum
Nonnulli perhibent fluuium, qui suscipit alueo
Circum omnes regionis aquas. hic agmine sæuo
Innumeros voluit lapides, qui incendia venis
Concipiant lignorum instar. carbonibus autem
Halitus admotus, remouebat semina flammæ;
Contra humor datus vbertim, referebat ad ignẽ.
Quid prohibet, multis terrarũ anfractibus, istas
In pronum impelli cautes, fluuijsque reponi,
Inferriq. alijs, alijs per operta resumi;
Quæ sic detortæ, flammantis deniq. feruent
Ingenij vitam, nostrosq. legantur in vsus?
11 An melior manet illa fides, Titanas Olympo
Ab Ioue deiectos, & iusta morte peremptos,
Fornacum exustis miserè accessisse caminis?
Sanguis enim ceu Vipereum genus intulit Orbi,
Sic lapides facta ossa ferunt, quos folle voraci
Excoquat Ignipotẽs, queis Calx quoq. nomẽ ade-
Nomẽ perfecta de vocis origine manãs. (pta est,
12 Iam me gland feræ, siluarũ gloria, Nymphæ,
Accersunt, licet inuitæ; cum stricta securis
Fulgeret in manibus, primo ab radicis honore
Cæsura arboreos, illarum pignora, truncos,
At rerum sic ordo vocat, patiuntur & illæ
Arbitror, hoc leuius; quò non data silua, veternũ
Vt trahat, & nostros ingrata exhorreat vsus.
Nunc mecum Lignator ades, vestemq. recinctas,
Brachia nuda gerens, validam molire bipennem
Frondenti in luco, truncorumq. aggera aceruos,
Roboream succide trabem, teneramq. Cupressũ,
Credendamq. fretis Pinum; tum vitibus Vlmum
Iungendam sociam, metuendam nomine Taxũ,
Procumbant Orni, Piceæq. atq. Esculus, Ilex,
Dent gemitum Dryades: ignouerit ipsa secanti
Alma Pales; hoc Pallas amat, quæ prima nouãdis
Impendit curam domibus, pulchrèq. struendis:
Struxisset nec porrò aliter, nisi certa parasset

Funda-

Fundamenta rei, lateres, cæmentaq. Calcem.
Cæde iterum Tilias mecum, viridesq. Genistas,
Ac fascem pondusq. liga, radiosq. calentes
Da Solis rapidi excipiant. id cetera quippe
Ligna ferant, quæ ni penitus combusserit æstus,
Sit tamẽ excoctus paullũ, qui intrinsecus humor
Occulitur, subitoq. facessat, sorbeat ignem.
13 Sed quæ forma operis, quãto molimine forCõstet, & introrsus quãto descendat hiatu, (nax
Quæ scrobs, quot latebræ, quoq. ordine marmora fidant,
Ecquot ad excubias Noctes, quæ tempora Lunæ,
Ede age Calciope: & quãquã tibi nomina pręsẽs
Mutarit carmen, facti de nomine signans,
Sis modò Calliope, cœtumq. imitata Sororum,
Expromas ignoti aliquid, quod sæcula nostra
Non renuant, non adueniens absorbeat æuum.
14 Iuppiter iratus Superis, qui carcere fœdo
Claudere se, laqueisq. arctis vincire parabant,
Supplicijs omnes multare perennibus optat.
Attamen auscultat Themidi, multisq. Deorum
Longè aliud sanxit pœnæ genus. imperat autem
Huic dedi vnanimes Neptunũ & Apollona noxę.
Tempestate illa Teucrorum mœnia nulla,
Nullum erat Iliacis impostum Pergamon oris.
Laodemon paruas sedes, parua antra colebat,
At non parua idem regali mente coquebat.
Mens erat ingentem fabricare Nepotibus Vrbẽ,
Et ditione noua Phrygios augere colonos.
Sed fatum responsa dabat, vota in clyta, & altũ
Tantisper differret opus, dum Numina bina
Æternis demissa plagis, præclara patrassent
Incœpta, inque suo pinxissent puluere Troiam.
Addixit nempe huic operi tum Iuppiter vltor
Æquoreum, Clariumq. Deum, lucemq. sub ipsã
Laomedõta monet. perfecta vbi cuncta Deis sint,
Persoluat precium velox: nam cuncta dedissent
Pessum, ni meritæ palmam mercedis obissent.
15 Vsqueadeò veterum fuerat venale Deorum
Præsidium. mercari fas erat omnia ab illis.
Præstabat Pyliam tibi Bucula cæsa senectam,
Diui-

Diuitiasq; Boues poterant præstare quaterni,
Centum, regales gazas atque aurea sceptra.
In Pylon incolumem reditum Priameïa ab Vrbe?
Quippe nouē Tauris. altum petere Iliō ardes
Aulide ab algosa? Dijs regia Virgo litetur.
Bis sex cæde Boues, peplumq. adiunge coruscū,
Ne inuadant hostes Vrbem, dabit innuba Pallas:
16 Quid moror? illaqueat tacita spes Numina. ab astris
Desiliunt, grauibusq. parant se exoluere pœnis.
Mutauere habitum, mortalis imago Deorum
Laomedontæis actutum affulsit in aruis.
Iam quando tenui fastigia prima labore
Crescere nōpoterāt, nisi prima elemēta subessēt,
Ac cæmenta aliquis ni prudens compararet ante,
Et lateres nulla laqueorum compede nectat,
Mœnia conspiciet ruere acri impulsa ruina:
Dupliciter curemus opus; Maris Arbiter inquit.
Tu cōfer ligna, & lapides; mihi maxima fornax,
Scrobsq. intus fingēda, labor fuat. Ecce ministros
Do tibi Nereidum Natos; mea munia circum
Cærulei Tritones erunt, cumq. ignis honorem
Poscere tempus erit, Vulcanus deferet Ætnam
Cū Bronte, & Sterope, nudoq. Pyracmone. Porro
Calx promēda prior, bibulasq. vbi fontis arenas
Miscuerim, moliri imam tunc cœpero molem,
Et studijs surgent communibus oppida prima;
Ducemusq. Arcem, vallataq. tecta, locatis
Castrorum in morem pinnis, nitidæq. coronæ.
Sic ait. Vndiuagā gētem vocat æquore ab imo,
Secum vna Tritonas habet, pubemq. relictam
Dat sociam Phœbo. Qui protinus ardua scandit
Gargara: fœcundos truncis circumspicit agros,
Et montes saxis, & flumina plena lapillis,
Ergo diuersos comites dimittit, & addit
Ancipites palmis falces, latasq. bipennes,
Plaustra, trahas, currus & ahena cuspide rastros.
Cautibus effossis plures Sigeia nudant
Littora, pars Xanthi ripas. his Mysia marmor,
Et marmor dedit Ida suum; corbesq. cauósq.
Carrorum impleuere sinus, Pars altera densas

CÆLII SYMPOSII
vetustissimi Aenigmatum Scriptoris.
Aenigma LXXV.

*CALX.

EVasi flammas, ignis tormenta * profugi;
Ipsa medela meo pugnat contraria fato:
* Frigesco lymphis*, calidis incendor ab vndis.

* CBLX. * refugi * ardeo de * medijs.

AD IO: BAPTISTAM LAVRVM

Octauius Marionus.

FEbruus agnoscit scribentem, praebet & ansam
Scribendi, FORNAX non procul IGNE RV-
At tibi florescēs Ver, Autūnusq. probāt. (BENS.
Aestas vitatur, nulla probatur Hyems.
Qui vero haec cōstāt? cōstāt verè arbitror, Aestus
MENTIS erat, Fornax ignea MENTIS erat.
Hac tibi quatriduo Lapis est fornace solutus,
Eruta scrobs, ligna iniecta, data'q. faces.
Magna velim, nulloq. eadem complenda labore?
MENS foecunda fui, MENS mihi sola dabit.

QVAE IN LIBRO
de fabricatione calcis.

1 QVod Anni tempus aptum sit fornaci Calcariae extruendae.
2 Quae Regiones sint vitandae.
3 Loci ingenium obseruandum.
4 Vitanda esse loca vliginosa, & quae eligenda.
5 De lapidibus non vnius generis, tum gigni in terrae

TITANOPOEIA,

SIVE

DE FABRICATIONE CALCIS

LIBER.

FORNAX igne rubens, liquefactaq. marmora flammis,
Vnde bituminco Babylonia mœnia limo
Inter-strata, minus suspirat serior ætas,

Cal-

Calliopen, an Calciopen? accendere nostram
Inspecta nuper fouea cœpere, coquente
Aggestos lapides, fumumq. sub astra vomente.
Atque ea, cum nostris cõtermina Mõtibus esset,
Sæpe petita mihi, dum Sol proferret Eoo
Luce noua madidos currus, dum clarus Olympi
Iam medium legeret, fluctusq. intraret Iberos,
Sæpe petita mihi. Quantum res postulet artis,
Quàm vigil excubitor, Quanta experiẽtia subsit,
Narrare aggrediar, tua si mihi CÆSIA Pallas
Annuat, ò Princeps: & fas mihi numine dextro
Annuat. Illa tuas venerabilis incolit Arces,
Lætaq. PONTIACÆ tenet ardua culmina VAL-
Qua curis animo exclusis, lõgèq. remotus (LIS,
Vrbano à strepitu, & stolidi caligine vulgi,
Luce fruor Cęli placida & leni aëris haustu;
Seu classes libeat Superas, altèq. repostum
Aethera scrutari, mentemq. euoluere terni
Numinis, in terno dominantis suauiter Orbe,
Siue Orbes infra positos, qua lege recurrant
Sidera, quid certo signent coëuntia gyro:
Quid fulmen, Ventosq. creet, gelidasq. pruinas,
Qui vigor inclusus sola conciret, æquora tollat,
Quæ sit origo Maris, quo fonte exuberet aurum,
Vnde metallorum fluor æstuet, vnde lapilli
Conglacient: qui, si medios iactentur in ignes,
Diffiliunt, medijsq. tamen flammantur in vndis.
Ergo age, susceptũ numeris decurrere laborẽ
Calciopei, nam Pallas adest & CÆSIVS Heros.
Si vulgata iuuant, at dulcibus illa Camenis
Nunquã dicta, iuuant: Naturæq. abdita vulgus
In re vulgata ignorat, quæ Musa recludes.
Nobis dulcè adeò est, saxis lento igne sepultis,
Ferre facem calami, celeresq. educere in auras,
Principiò quoniam ratio nec temporis vna,
Nec ratio vna anni, quo mobilis Aetna locetur.
Sunt quibus aut Tauri lucens arrideat Astrum:
Aut Geminorum Astrũ: quæ cũ percurrit Apollo,
Tunc præstet, scrobe suffossa, congesta cremare
Marmora, quæ modico descẽdẽs Iuppiter imbri,
Molliter accendat, cum fortiter obruat idem,
Vtraque

Vtraque brumali redimitus tempora nimbo.
Sunt & qui Erigonem, spatiumue æquale dierũ,
Cum se se iusto librant examine chelæ,
Malint; quòd nimio Cælum nec candeat æstu,
Nec latè assiduis nigrescat nubibus aër:
Sed per vtrumq. volet confine, rotantis Olympi
Turbo. tum multo foueant fœlicius ignem,
Cæsa sub Autumnum siluas quę ligna per amplas
Aruerint, biberintq. altum de Sole calorem.
At vitetur Hyems, numquam nimbosa probetur
Tempestas anni. Cęlum fremat, humida flumen
Aëris effundat regio, latè occupet agros:
Frigore cogantur nubes, fabrisq. repulsæ
In floccos abeant Niuiũ, & iuga summa tegẽtes
Armenta, atq. homines vexẽt: de carcere aperto
Aeolus immittat Ventos, qui claustra refringant
Terrarum, & gemini conuellant cardinis axes;
At non saxorum poterunt mi abducere molem,
Quã temerè arctarim fouea, aut infringere flãmã,
Quã temerè arsuris substernere cautibus ausim.
Nulla mihi fornax hac tempestate fauillas
Eiectet, nullæq. domus spectentur in Vrbe,
Ædibus optetur si Calx ea sola struendis.
Sed quamquã saxis Aestas est apta coquendis,
Atteriturq. lapis duplici resolutus ab igne,
Mulciberis nempe ac Solis: tamẽ impedit æstus
Conductas operas, quæcunq. ligonibus instant
Cõpactam subuertere humum, quas vna vehẽdi
Cura premit lapidis, quæ robora subdere & or-
Igneaq. in triduum debẽt alimẽta referre. (nos,
His faciem exurat feruor, de corpore sudor
Multus eat, ponãt animã, calidèq. gelascãt. (lores
2 Vtq. Hyemis fugere vsq. minas, nimiosq. ca-
Ingens cura mihi: sic non plaga qualibet Orbis
Apta operi. An pulsos crebris Aquilonibus agros
An Zephyros, Eurosue legam, tractumue tepentẽ
Limitis Austrini? nullos vitare laborem,
Atq. aliquem vitare tamen. Non ipse furenti
Obijciam Boreæ caueam, qui examine magno
Militis Arctoi ventosis opprimat armis
Saxosum tumulum, & tractim in sublime volãtẽ
Vul-

Vulcanum telo excipiat; neruo vnde reciso,
Planta alia claudus, se se super incidat hospes
Infelix, pereatq. calor, cautesq. rigescant.
3 Idcircò latebras aut per decliuia montis
Effodiam, quà non spectentur plaustra Bootæ:
Aut penitus cliuos infra; seu flumina iuxta,
Decurrant, seu se teneris passim arua supinent
Cespitibus. tantùm terram ne fluxilis humor
Ambiat, & nullo noceant humore lacunæ.
Haud quicquã magis extructis fornacibus obstet,
Compositusq. silex hac re ruat impete magno,
Et circumiectæ recidant in prona cathedræ.
4 Vidi ego, corticibus terræ lõgè vsq. cauatis,
Non animaduerso terræ sudore labantis,
Effossos mira arte specus; grandiq. labore
Inductos lapides, subiectoq. igne calentes.
Ecce autem, dũ flamma tenax per viscera serpit
Obstantum silicum, subitò subsidere visa est
Pars ea, qua fornix è marmore ducitur, & dat
Fundamenta operi, & saxa in sublime leuãtur:
Iam casu crepitant cautes, iam terra recedens
Structũ euertit opus. Quid mirum? fusus in artus
Terræ cum fons ignis ijt, restinguitur illac,
Hac cogit sudare solum, venæq. latentes
Maiores in fluxu, ignem conantur in hostem
Stringere tela. loci ingenium vel reddere sueuit
Exiguos rores, incompertumq. liquorem.
Esto igitur sudore vacans, vligine nulla
Perfluat: exterius durescat cortice tellus,
Interius durescat item, nec glarea solum
Summa tegat, bibulæue sinu spargantur arenæ:
Difficiles cliui existant, per cuncta notetur
Calculus asperior spatia, & compagine tota
Tophus inhorrescat, Rubriq. sit æmula ponti
Terra, trahatq. hilarem, Phœbo percocta, colorẽ.
5 Nec mihi discrimẽ saxorũ haud adsit, in oẽs
Non æquè afficiar lapides, atq. ossa Parentis
Cuncta obeã, no cuncta legã. Nã fossile marmor,
Quod calidũ suffimen alit, crassoq. grauatur
Pondere, speratos veniat non semper ad vsus:
Vt multò illa minus, cæcis inclusa metalla
In

In ſpecubus, quibus ignauus Pater adfuit humor
Aëreo feruore calens, faciliq. refluxu
Exponens madidas ad lenta coagula venas.
Nec quales paſſim eruimus de Monte lapillos,
Hunc Natura licet ſibi fecerit, ad ſola terræ
Denſanda, vt vaſtis compages necteret antris,
Arceret fluuiorum iras, fluctuſq. tumentes
Frangeret, ac ſolido ſe tegmine tuta referret
Sæpius introrſus, latebroſaq. regna ſubiret,
Ad ſupplenda nouis vinacia ſulphura riuis,
Et viui Argenti latices tacito igne coquendos,
Vnde nitens (fax, nex hominũ) cõcreſceret aurũ.
6 An cautes arceſſe velim, quas vſta calore
Vltima progignit regio? cum terreus altè
Halitus euehitur, viſco oblitus, omne refuſus,
Qui face torrenti flagrans, dimittier ab ſe
Senſim, quod tenue eſt, ſentit; craſſiq. vaporis
Quod ſupereſt, coit in lapidem, celeriq. rotatu
Præcipitat, dirumq. affert mortalibus omen.
Non ſecus humanos ea peſtis ſæuit in artus,
Viſcoſum cum gluten adeſt in renibus, vlcus
Intus inardeſcens vbi tenuia cuncta reſoluit,
Atque abit in lapidẽ, quod craſſius intus inerrat,
Hinc dolor in venas furit acer, pungit acutis
Atra lues iaculis: odere theatra, penates,
Nox inimica illis, inimicaq. lucis imago.
Nouimus accenſo pluere ęthere grandia ſaxa,
Qualia Niliacas memorauit viſa per Vrbes
Fama prior, mox Inſubrum renouauit in aruis,
Albani Colles, Hiſpanis Bætica campis,
Roma, & Amiternum, Ligures & Aricia nouit,
Monſtriq. exhibeat ſpeciẽ, quam vulgus adoret,
Excuſſa è Cælo, violento turbine moles
Grandinis. hanc glacie impactam, ſe ſeq. rotantẽ,
Euoluiſſe ferunt rigidas per inania cotes.
Tantus erat lentor latera intra nubis opacæ,
Tantaque frigoribus quatientibus indita virtus.
7 His ergo atque alijs Naturæ legibus, altos
Credibile eſt cumulos ſilicũ per teſqua, per arua,
Per iuga compoſitos; vt non ſileatur operta
Cos, caua depreſſæ diſcurrens viſcera terræ,

Quæue

Quæue cubat iuxta fluuios, variosq. per annos
Littora curua super, muscoso increscit aceruo.
Seu quas vnda trahit, minuens fastigia furtim;
Aggeribusq. locans se se vltrò impellit, & agros
Occupat, & surgunt, fuerant qua littora, ripæ.
Vnde vices tellus subit irrequieta, nouatq.
Vsque nouas facies. ex quo cognoscere promptũ,
Nunc, vbi vorticibus præterfluit vnda retortis,
Nuda fuisse soli terga; ast vbi terra iacet nunc,
Æquoreos innasse lacus, lapidosaq. quondam
Culmina subsedisse, aut fluctibus obruta ponti:
Inde vagos amnes, saxis in ventre reductis,
Acriter influere, spatioso margine passim
Linquere, & hospitibus cõmittere marmora ri(pis.
8 Lex verò ignoti lapidis mihi certa legendi
Esto ea: candentem species imitetur amictum,
Vel dura in tacitis spectetur fistula venis,
Sit collecta silex effossa è caute, vel ipsis
Obijcibus Torrentum, & vortice pulsa sonanti.
Nec non scruposos tecum rimare molares,
Collectosq. manu, violenta scinde bipenni.
Adijce, quæ rutilo signantur murice saxa,
Ac vultu semet produnt: his ignea fornax
Plenè infarta, dabit preciosam sedula massam,
Et ditabit Herum. Latitant in rupe minuta
Flammeoli ductus, quos vt complexibus hausit
Vis maior fabri Ætnæi, laxantur, & arctis
Vsque tamen constant nodis, nebulasq. resudãt.
9 Mõstrauere olim Lapithũ primi illita cocco
Talia saxa, vbi Centauros strauere furentes:
Nam quia de saxis illorum surgit origo,
Vnde etiam illatum nomen, cum fercula inirẽt,
Pirithoiq. epulas, Bacchoq. impensius essent
Vsi purpureo, primum traxere colorem
E vino, inde graues iaculati fortiter hastas,
Fumantesq. scyphos inimica in prælia; quotquot
Hoc bello posuere animas, aut debita postquam
Fata die posuere suo, corpusq. paternis
Mandauere agris, vixere in origine prisca
Antiqui Lapithæ Lapides, sublataq. pridem
Progenies dura è viuis, sub imagine saxi
Viuit

Viuit adhuc, vastumq. vterũ fornacibus explet.
10 Sed quæ de gremio fluuiorum marmora viua
Colligimus, foucæq. iniecta, incensa repente
Exsiliunt, num Sithonijs ducuntur ab aruis?
Algentem iuxta Thracen, cognomine Pontum
Nonnulli perhibent fluuium, qui suscipit alueo
Circum omnes regionis aquas. hic agmine sæuo
Innumeros voluit lapides, qui incendia venis
Concipiant lignorum instar. carbonibus autem
Halitus admotus, remouebat semina flammæ;
Contra humor datus vbertim, referebat ad ignẽ.
Quid prohibet, multis terrarũ anfractibus, istas
In pronum impelli cautes, fluuijsque reponi,
Inferriq. alijs, alijs per operta resumi;
Quæ sic detortæ, flammantis deniq. seruent
Ingenij vitam, nostrosq. legantur in vsus?
11 An melior manet illa fides, Titanas Olympo
Ab Ioue deiectos, & iusta morte peremptos,
Fornacum exustis miserè accessisse caminis?
Sanguis enim ceu Vipereum genus intulit Orbi,
Sic lapides facta ossa ferunt, quos folle voraci
Excoquat Ignipotẽs, queis Calx quoq. nomẽ adepta est,
Nomẽ perfecta de vocis origine manãs.
12 Iam me glandiferæ, siluarũ gloria, Nymphæ
Accersunt, licet inuitæ; cum stricta securis
Fulguret in manibus, primo ab radicis honore
Cæsura arboreos, illarum pignora, truncos.
At rerum sic ordo vocat, patiuntur & illæ
Arbitror, hoc leuius; quò non data silua, veternũ
Vt trahat, & nostros ingrata exhorreat vsus.
Nunc mecum Lignator ades, vestesq. recinctas,
Brachia nuda gerens, validam molire bipennem
Frondenti in luco, truncorumq. aggera aceruos.
Roboream succide trabem, teneramq. Cupressũ,
Credendamq. fretis Pinum; tum vitibus Vlmum
Iungendam sociam, metuendam nomine Taxũ.
Procumbant Orni, Piceæq. atq. Esculus, Ilex,
Dent gemitum Dryades: ignouerit ipsa secanti
Alma Pales; hoc Pallas amat, quæ prima nouãdis
Impendit curam domibus, pulchrèq. struendis:
Struxisset nec porrò aliter, nisi certa parasset

Funda-

Fundamenta rei, lateres, cæmentaq. Calcem.
Cæde iterum Tilias mecum, viridesq. Genistas,
Ac fascem pondusq. liga, radiosq. calentes
Da Solis rapidi excipiant. id cetera quippe
Ligna ferant, quæ ni penitus combusserit æstus,
Sit tamē excoctus paullū, qui intrinsecus humor
Occulitur, subitoq. facessat, sorbeat ignem.

13 Sed quæ forma operis, quāto molimine for-
Cōstet, & introrsus quāto descendat hiatu, (nax
Quæ scrobs, quot latebræ, quoq. ordine marmo-
ra fidant,
Ecquot ad excubias Noctes, quæ tempora Lunæ,
Ede age Calciope: & quāquā tibi nomina prȩsēs
Mutarit carmen, facti de nomine signans,
Sis modò Calliope, cœtumq. imitata Sororum,
Expromas ignoti aliquid, quod sæcula nostra
Non renuant, non adueniens absorbeat æuum.

14 Iuppiter iratus Superis, qui carcere fœdo
Claudere se, laqueisq. arctis vincire parabant,
Supplicijs omnes multare perennibus optat.
Attamen auscultat Themidi, multisq. Deorum
Longè aliud sanxit pœnæ genus. imperat autem
Huic dedi vnanimes Neptunū & Apollona noxȩ.
Tempestate illa Teucrorum mœnia nulla,
Nullum erat Iliacis impositum Pergamon oris.
Laodemon paruas sedes, parua antra colebat,
At non parua idem regali mente coquebat.
Mens erat ingentem fabricare Nepotibus Vrbē,
Et ditione noua Phrygios augere colonos.
Sed fatum responsa dabat, vota inclyta, & altū
Tantisper differret opus, dum Numina bina
Æternis demissa plagis, præclara patrassent
Incœpta, inque suo pinxissent puluere Troiam.
Addixit nempe huic operi tum Iuppiter vltor
Æquoreum, Clariumq. Deum, lucemq. sub ipsā
Laomedōta monet. perfecta vbi cuncta Deis sint,
Persoluat precium velox: nam cuncta dedissent
Pessum, ni meritæ palmam mercedis obissent.

15 Vsqueadeò veterum fuerat venale Deorum
Præsidium. mercari fas erat omnia ab illis.
Præstabat Pyliam tibi Bucula cæsa senectam,
Diui-

Diuitiasq; Boues poterant præstare quaterni,
Centum, regales gazas atque aurea sceptra.
In Pylon incolumem reditum Priameia ab Vrbe?
Quippe nouē Tauris. altum petere Iliō ardes
Aulide ab algosa? Dijs regia Virgo litetur.
Bis sex cæde Boues, peplumq. adiunge coruscū,
Ne inuadant hostes Vrbem, dabit innuba Pallas:
16 Quid moror? illaqueat tacita spes Numina.
ab astris
Desiliunt, grauibusq. parant se exoluere pœnis.
Mutauere habitum, mortalis imago Deorum
Laomedontæis actutum affulsit in aruis.
Iam quando tenui fastigia prima labore
Crescere nōpoterāt, nisi prima elemēta subessēt,
Ac cæmenta aliquis ni prudens compatet ante,
Et lateres nulla laqueorum compede nectat,
Mœnia conspiciet ruere acri impulsa ruina:
Dupliciter curemus opus; Maris Arbiter inquit.
Tu cōfer ligna, & lapides; mihi maxima fornax,
Scrobsq. intus fingēda, labor fuat. Ecce ministros
Do tibi Nereidum Natos; mea munia circum
Cærulei Tritones erunt, cumq. ignis honorem
Poscere tempus erit, Vulcanus deseret Ætnam
Cū Bronte, & Sterope, nudoq. Pyracmone. Porro
Calx promēda prior, bibulasq. vbi fontis arenas
Miscuerim, moliri imam tunc cœpero molem,
Et studijs surgent communibus oppida prima.
Ducemusq. Arcem, vallataq. tecta, locatis
Castrorum in morem pinnis, nitidæq. coronæ.
Sic ait. Vndiuagā gētem vocat æquore ab imo,
Secum vna Tritonas habet, pubemq. relictam
Dat sociam Phœbo. Qui protinus ardua scandit
Gargara: fœcundos truncis circumspicit agros,
Et montes saxis, & flumina plena lapillis,
Ergo diuersos comites dimittit, & addit
Ancipites palmis falces, latasq. bipennes,
Plaustra, trahas, currus & ahena cuspide rastros.
Cautibus effossis plures Sigeia nudant
Littora, pars Xanthi ripas. his Mysia marmor,
Et marmor dedit Ida suum; corbesq. cauòsq.
Carrorum impleuere sinus, Pars altera densas

Scrutatur Siluas, Phrygiaq. haud cessat in Ida
Eruere annosas, truncato stipite, Phagos,
Fraxineasq. trabes, & opaco tegmine Myrtos.
Atq. has impositas plaustris, duce Apolline, ducũt
Quà Neptunus adest. Ille autem à sede Scamãdri
Haud longè designat agrũ, quo imperuia Ventis
Sit fouea, & nullus scatebris ebulliat humor.
17 Ergo planiciem percurrit arundine longa,
Ac spacium metitur humi, latamq. lapillo
Circinat in gyrum caueam; quã sarculo, & vncis
Forcipibus Tritones arant, ferroq. fatigant.
Bis patet in præceps tantũ, quantum area summa
Est excisa semel. multa vi fragmina rupis
Excindunt, versæq. foras patienter arenæ
Ædificant cumulos, occultaq. rudera trudunt.
Dein per operta soli sæuo concussa Tridenti
Ostia parua aperit tumidarum Rector aquarum.
Hic etiam deforme solum pertunditur. inde
Quidquid adest sabuli attriti, cæsæq. ruinæ,
Egeritur, vacuantq. scrobẽ, penitusq. profunda
Apparet domus in puteum suffossa profundum.
Verum angusta parum fundo spectatur in imo,
Et circum duro formata sedilia topho
Adduntur, primi lapidum queis mollè quiescãt,
Atq. humero excipiant alios, turrimq. futuram
Sustentent silicum, ruituraq. marmora tollant,
Sarcula Tritonum rursus, firmosq. lacertos
Deposcunt secreta soli. Cauea altera rursus
Effodienda manu, quæ sectos Arboris altæ
Contineat ramos, Siluæq. sonantia ligna,
Igne superiectos subter recoquente lapillos.
Interior spelunca patet, nil restat agendum,
Quã lapidũ cumulare struẽ, quã subdere quercus
Quàm conferre ignem. Pelagi regnator aperti
Fluctiuago mandat Proteo, Vulcania ad antra
Pergeret, atq. ad se Regem deduceret Ætnæ.
18 Hæc tantum: tetigit (mora nulla) tricuspide
Tellurẽ. patefacta Deum suscepit. at ille (telo
In speciem fluuij labens, stetit ante nigrantem
Mulciberũ in Lipara Aeolia, mandataq. perfert
Humentis Domini. Paret, famulosq. Cyclopas
Cogit

Cogit in id, flammæq. suis exemptis caminis
Semina parua ferens, terrai subter opacę
Regna, viam carpit, Xanthiq. ad littora tendit.
Interea exonerat currus, ramalia, saxa
Turba sequax Phœbi. Seniorq. imponit aceruãs
Ordine quasq. suo cautes, infraq. supraq.
Molliter innectens titubantia marmora, format
Turbinis in faciem, testudo vt denique partim
Exeat, & partim cuneata resultet imago.
Quamuis campani magis æris forma probetur,
Non densata tamen, sed quę per membra parũper
Secta, trahat rimam, calidas magis inde fauillas
Vt bibat, & pulchra flammarum luce fatiscat.
Nec minus inferius specus accipit arida primò
Pabula, virgulta, & frondes, facilesq. Genistas.
Insuper iniectas Phagos, tædasq. fluentes,
Iuniperi truncos, & coniferas Cyparissos.
Ante fores stat mixta arbos, alimenta datura,
Tres noctes, totidemq. dies, vbi fumifer ignis
Incipiat clausis fornacibus edere bombos.
Præsto aderat ductu Protei Trinacrius Heros.
Mutuaq. in vultu referentes gaudia Phœbus,
Rex vndæ, Rex Ignis, opus cõplere, quod instat,
Voce agitant, variæq. notanda cubilia Lunæ.
19 Scilicet hæc, radiãs quæ permeat vltima Cę-
Incũbit terris propior, propiorq. fauorem (lum,
Impluit, & nocuam propior fert inuida tabem.
Rusticus hanc, presso terram si frangat aratro,
Consulit, hanc, scissis si mandet semina sulcis.
Hanc, vites si falce putet, si colligat vuas,
Pomaq., confectas senio si deflecet vmbras.
Quid mirũ, si marmoribus quoq. Luna coquẽdis
Profuerit consulta, nocens neglecta feratur?
Quæ cum mutetur stationibus vna quaternis,
Nunc radijs defecta suis à Sole recedens,
Progreditur tria signa, inopem quo tẽpore lucẽ
Paulatim crescens, paulatim potat adempta m.
Albentem dum plena sinum, iungens q. minuta
Cornua, candidior Cęlum spectantibus adsit.
Audet & auricomo radios opponere Soli.
Ambitio sed victa cadit. Sensim illa coruscam

Exuit orbe comam, decrescit mobilis ignis
Luxuries, ternamq. minor videt orbita partem:
Tunc minor; incedit cum cornibus vsq. retusis,
Ac Fratri vicina suo, nigrantibus vmbris
Delitet, ac tenebris nocturna crepuscula dãnat.
Nec coëat, nec plena caput fuluo explicet auro
Cynthia, cum mens est saxis supponere flãmas.
Tunc etenim aut pluuijs rarescere sæpius aër
Incipit, aut venti terris, nimbiq. parantur.
Hæc verax, ratio sed verior altera præsto est,
Difficilis perceptu eadem. Cum Luna mouet se
Fratris ad amplexus aut exsilit æmula Fratris,
Semiustos lapides (mirum!) sic afficit, vt se
Vlterius non promoueant, tabescat & ignis
Visceribus, nec viua silex, nec mortua dehinc fit.
Quod Rota Lunaris venas compingat hiantes;
Ne calor insinuet; cogatq. incendia torua
Discursu in medio languescere fracta repente,
Nec, si mille velis marmor torrere per annos,
Vnquam Dyctinnæ defluxus adederit illud,
Illud nec rabies Vulcania ruperit vnquam.
Deucalionæis inolescunt talia saxis
Semina, & è saxis se talia semina promunt.
Prospera lux aderat, Noxq. altera, & altera Lu.
Viderat igniuomo per Cælũ incedere curru, (nã
Obuersam Phœbi radijs. tunc cœpit Apollo;
Explicat ora Soror: iaciendas censeo flammas
Prægnantẽ in foueã. reliqui assensere. Cyclopes
Ceu patriam renouent incẽdia grata sub Ætnã,
Flammea ligniferam confestim pabula in ædem
Coniecere alacres, quæ mox serpentia sectas
Comprendere hastas, cum furtim tenuia primo
Et folia, & ramos, libamina prima tenerent.
Iam piee succensa, vires creuere furentes,
Et plenæ filicum cœpere sonare latebræ.
In rapidos it flamma globos, volitansq. furẽsq.
Obnubit lapides, partesq. incoxit hiulcas.
Ante fores Brontes, Steropesq. alimẽta ministrãt,
Atq. ministrantes iuuat addens ligna Pyracmon.
Postremò superant ducẽda Trinoctia, quo se
Marmor in obiectum violentior inferat ignis.

deirco inuigilet per ternæ tempora noctis
E tribus vnus, ab excelſo qui culmine ſeruet
Implicitos ſaxis fumos, craſſamq. fauillam;
Admoneatq. trabes quando acrius inducendas,
Aut ſubducendas, prunis candentibus æqua
Et latera vrgẽda, & qua ſit ſpecus arte premẽdũ.
Præterea immineat famulis, ne ſaxa liquanda
Impediãt, flãmarum vndis glomerãtibus obſtẽt.
Ne aſſueti ſemper Siculis verſare caminis
Incudes, durumq. ſuper contundere ferrum,
Tela ipſi fabricare Ioui, Clypeumq. Mineruæ,
Et Marti galeas, ocreas, thoracas ahenos,
Stricturas Chalybum fornacibus intruſiſſent,
Stulti ſaxoſæ meditati damna cataſtæ:
Quãdo lapis ne igneſcat, agit ferrũ intus adactũ.
Sortiti ſunt ergo vices. Prior Ignipotens dux
Ducitur excubitor, qui (dum Neptunus, Apollo
Planiciem metandæ Vrbis ſpeculantur, & ipſum
Laomedonta petunt: non autem Sidera curant,
Qua ferrent ſe parte Poli, quo lumine ſeſe
Acciperent, aut inficerent, quæ cauſſa ruinæ
Troia tuæ fuit, irato quæ condita Cęlo es)
Exegit vigilem tranquilla per otia Noctem.
21 Ille vbi præmonuit famulos, ſublimis acuto
Mẽbra locat ſcopulo, cernẽſq. ſub aſtra volantes
Flammarum fluctus, fruitur caligine doni
Tota mente ſui, laudumq. inuoluitur æſtu.
Effert ſe ſe, inquit, tanto Iuno aurea Gnato,
Nec mihi pes breuſor probro vnquã; purior Ignis
Eſt mihi Iuno parens, vnuſq. eſt purior Ignis:
Ignis ego, at paulo grauior. de lumine puro
Impurũ mihi lumen adeſt: ſed quale per omnes
Diſcurrat terras, & ſummas aëris oras.
Hinc altum per inane volat circumuagus Ignis,
Suſcipiens varias terræ de fęce figuras.
Hinc nubes diffracta faces vomit, hinc reſonanti
Pulſa cadunt fremitu vacuas diſploſa per auras
Fulmina. Fumantes miraris concaua terræ
Eructare globos, ſcopuliſq. innare peruſtis
Tyrrhenum Siculumq. latus? meus halitus Aetnã
Concutit, & rabidos eliminat ira Gigantes.

Mater sed Cælo excludés, odia aspera monit.
Ira subit, pœnam exegi, nec pęnitet. olli
Vincla arcana gerens, precioso extructa metallo,
Sella datur dono, assedit non prouida, totam
Haud animaduersi religarunt illicò casses.
Nimirum melior vigor igneus, arcta subire
Si telluris amet, vel se in sua regna recepter
Est opus, aut foueis concretus obambulet imis
Insyncerus, & ætheria longè exulet arce.
Hinc cupiens toto spatiari libera mundo,
Et domina in cunctos transfundier vna recessus
Aequoris ac terræ; non indignata supremas
Palladi Olympicæ sedes concessit, & auras,
Vicinas auras medio sibi legit in Orbe.
Vertitur hinc facilè in fluuium, glæbasq. propin-
Se vt mi cõciliet, blãdisq. immisceat vlnis: (quas,
Sic pacem tantisper amo. Verum æmula Pallas
Lunam infra, ignigena stolidè se iactat in aula,
Quod thalamis renuit succũbere callida nostris.
Hac tamen incedam merito iactantior, ipso
Sic Diuum censente choro. Nam Gratia, Cypris
Se mihi connubio iungunt, almumq. Tonantẽ
Febre laborantem sacra diffindo securi:
Quo ex ictu Pallas prodit, numerumq. Deorum
Auget, & à nobis, quod sit, pro munere sumit.
Tũ quoq. quod donis terrenũ obstrinximus Or-
Quas mihi non artes debent mortalia sæcla, (bẽ:
Quas chalybe inueni, inueni quascunq. per ignẽ?
Pignoribus purgate meis coeuntia in vnum
Semina, corporibus lentè resoluta quaternis:
Atq. auri fugientem animam sperate caminis
De nostris legere, & patres Chryseidos esse.
Adde, quòd hæc fornax secũ mea munera portat,
Hinc mihi laus maior: porrò Canis æreus olim
Fingitur à nobis, calidoq. animatus ab igni,
Fit donum non vile Ioui. dat habere Puellæ
Hic mox Europæ, post huius funera gaudens
Procris habet, Cephaloq. volens largitur amãti.
Tum demum Canis in lapidem conuersus, & olli
Sors ea cessit, vt in lapides trahere omnia possit.
Vt Cos autorem, sic flamma trisulca Parentem

Præ-

Prædicat, Astrorum vincens splendore cohortes.
Vberius fer ligna Cyclops, ter crescat acernus
Flammarum maior, quo vi maiore lacessat
Proximè ab Eois red turam lampada regnis.
Talia Vulcanus. cum celsam Lucifer Idam
Perfudit radijs, renouataq. fulgura cernens
Surgere de patulo roseæ fornacis hiatu,
Inuidia incaluit, solitoq. citatior, Axe
Discessit, Mundumq. dedit Phœbi igne rigandũ.
22 Altera Nox aderat, vigilẽ Sisicthona poscens.
Lætus adest, comitemq. suum cũ Rege loquentẽ
Deserit, & paruam vestigia torquet ad Aetnam.
Hic cessit statione Faber diuinus, & alueum
Se tulit ad Xanthi, quem quondam fata canebãt
Aeolijs flammis exustum turpiter iri
Ob Thetidis natum, populaturumq. Myricas
Vulcanũ atq. Vlmos, fœcundaq. Piscibus antra.
Ignis curat opus Pater Æquoris, inde ministros
Duplicat. hi pingues tædas, & feruida circum
Nutrimenta locant, queis mollia saxa vaporem
Admittunt, nigramq. bibunt rimosa fauillam.
Fuscina conuoluit truncos, perq. omnia versat
Speluncæ latera, & ramos discerpit acernos.
Mox Deus ascendit tumulos. vbi condidit aure,
Qualis in vndanti fumo submurmuret æstus,
Quantus eat circum vortex, rabiemq. cauernæ
Asperet, & nodos lapidum diffibulet arctos:
An Maris hæc, inquit, clementior aura silẽtis?
An pelagi secura quies? marmorq. per æquum
Nauigia huc confers flabris impulsa serenis?
En mea sors melior, cui vasti dulcia regna
Sunt permissa Orbis. Stygia versetur in aula,
Ac terram sub calce premat frænator opacæ
Noctis, in Astrigera dominetur Iuppiter Arce,
Me Maris antra iuuãt. Pax nulla serenat Auernũ.
Hostiles agitant cœlestia Numina rixas,
Et rixas regio Ignis habet, cum turbine turbo
Pellitur, & Capræ Capris, & sidere sidus.
Atteritur Ventis aër, discordia fratrum
Bella fouet, subitasq. hyemes tumidasq. procellas
Gratanter sorbet. Quid Terram concutit Eurus

Interior, motuq. gemens in prona cietur?
Pax pelagi liquidas tranquilla perambulat oras;
Veliq. instrati ritus, & stantis oliui
Exhibet. Hanc faciē, si quādo furentibus Austris
Aeolus aggreditur, confestim expellitur, ac se
Obijcibus claudit, Cælique per arua triumphat.
Quarè olidā Liparem celebrat, fumātibus antris
Exercet ferrum, Cyclopea limina fœdat
Vulcanus, nec sunt vitreis data tecta sub vndis?
Nempe quod asperior locus est Telluris. at ęquor
Respuit Encelados, & sulphura tætra coquentes
Vnoculos. Tristi horrescit caligine cælum,
Inficitur morbis aër, nigrescit Auernus,
Turpis humus spinis, senio, fœdo vlcere, peste
Lethali. Quàm formosæ per marmora Nymphæ
Defixos recreant visus! cum fronde capillos
Ornarunt viridi, conchasq. ex aure marinas
Suspendere, manusq. manu implicuere, per altū
Instituere choros! vel cum premit illa Leonem,
Hæc blandum Delphina regit, vinclisq. rosarum
Frænatus vehit hanc Aries, Taurusq. sedentem
Sustinet, atq. hilari ludunt per cærula cursu.
Quid Pontus mihi saxa ferat, quę fera vetustas
Exedat, & bombis crepitantibus ignis adurat?
Quære sub Oceano gemmas, scrutare Smaragdos
Et rutilos lapides bacca Garamātide iūge. (mus
Quidquid Erithra tenet, quidquid preciosior Her
Quidquid arena Tagi. Quæ non quæsita reportes
Tethyos à gremio, quoties onerata lapillis,
Atq. ostro distincta comas, collumq. monili,
Plena maris Rubri spolijs, per regna profundi
Nereos incedit? vestigia ponè sequuntur
Nereides, turbam angustum vix explicat æquor.
Per freta collucent flammæ, referitur in vndis
Dulcis imago Deæ. tuus errat, Cypri, Puellus,
Et tenera lasciuit aqua, quam sæuus amore
Sollicitat. Quacunq. Deæ vestigia feruent,
Illac afflatus lenes atq. oscula feruent.
Qua mouet illa oculos, illac speculi enitet orbis,
Inclusam referens vitrea sub imagine Diuam.
Rumpitur inuidia Cęlum, vix Sidera victa.
Scin-

Scintillare audent. tantumne refertis honoris
Aut Phœbi, aut Lunę radijs? at quidquid habetis
Ornatus, Lunæ à radijs aut Solis habetis.
Erubuere chori Astrorum; neu dicta verendi
Numinis afflicta radiorum luce probarent;
Discessere Polo, veniensq. Aurora reclusit
Fulgentes Vrnas, & gramina Rore rigauit.
23 Iā labor extremus superest, Noctēq. supremā
Saxa rogant. percussa gemunt, liquefacta sequēti
Se cupiunt aperire die. Tu robora Brontes
Subde frequēs, cæsasq. trabes tu subde Pyracmō:
Nutriat hinc Abies incendia, nutriat illinc
Fraxinus; adiectas suspirent marmora vires,
Suspirent ictus iam marmora tosta propinquos.
Nūquid abest Vulcanus, abest crinitus Apollo?
Ambo aderant, iunctiq. volunt extrema notare
Tempora. læta phalanx adstat; summoq. labori
Accincti insudant immansuetiq. Cyclopes,
Tritones validi, pubes & cætera Nerei
Mixto operam clamore iuuāt. Ceu picta per altū
Puppis itura fretum; licet acri semita vento
Torpeat, & tardo secet æquora turbida cursu;
Fortibus vrgetur remorum pulsa lacertis:
Et remex si pallet, onus molimine trudit,
Concentu sua membra leuat, sublataq. Ponto
Musica, peruincit Ventos, & prouehit Alnum.
Ad crepitum flāmę respōsant murmura vocū;
Ora boant, fornaxq. boat, latitansq. boatus
Echo iterat. ducunt thyasos, & fragmina iactant
Lignorum, & scrobibus festiua incendia condūt.
Ad numerum Neptunus humo sua spicula figit,
Ad numerum Vulcanus agit ferrumq. facesq.
Ad numerū Phœbus plectro modulatur eburno
Carmina, quæ mollē tollant super æthera Calcē.
24 Salue magne Lapis, cui proxima cessit origo
Post genitos Superos, post edita mœnia Cęli.
Te crescens veneratur humus, distantia cuius
Claustra ligas, solidamq. facis, quę possit Equorū
Ferre graues plantas, educere robora Siluæ,
Gaudentes Baccho colles, montesq. superbos.
Præsidio illa tuo currentibus obstat aquarum

Vorticibus, solidis includit flumina ripis.
Per te sulphureis ergastula præstruit vndis,
Auriferis per te commercia præbet arenis,
Perq. tuos Viui Argenti fluit vnda canales.
Te charum sibi Terra creat, Lapis inclyte; teq.
Tactus amore tui, sublimior expetit aër.
Sed quoniã facilè haud possit te abducere, dulces
Euocat Aurarum flatus, Zephyrosq potentes,
Qui sublatum humeris te leniter, in sua portent
Atria. Tunc Aër quàm dulcè per oscula lambit,
Quasq. tuo nectit capiti, pulchelle, coronas!
Ille coloratæ variat te adspergine nubis,
Ille comas minio, gemmisq. rubentibus ornat.
Tu tamen haud solitus flecti, telluris amori
Semper inhærescens, vbi mollia tempora nosti;
Aëris è gremio fugis incitus, atq. volucri
In terræ gremium planta per inane recurris.
Euge beate Lapis, quantũ tibi Numina debẽt!
Euge beate Lapis, quantũ tibi Sæcula debent!
Illa quod accipiunt tua grata sedilia, vt olim,
Cum primum Actæas Bacchus peruenit in oras,
In te Silenus posito consedit Asello.
Sic ego in Isthmiaci consedi caute Corinthi,
Deposuiq. super Citharam, pro munere munus
Nec lat grande dedi; tamen vt mea grata volũtas
Nota foret. Cum quis lapidem percusserit, inde
Murmur dulce ruit: ceu palma si quis eandem
Pertentet Citharam, vocalisq. exit imago,
Exit ab impulsis veluti nunc musica neruis.
Sol multis lapis esse soles, qui lumine lustres
Omnia, tu vindex scelerum, dum Sysiphon vrges,
Et Niobem, Cęlo lapsus fausta omina signas.
Sæcula sed debẽt homini quia cõmoda pręstas
Hospitia. oderunt siluosa mapalia, raro
Frondea tecta virent; cum te patiaris in ignem
Conijci; & inclusas referens in viscera flammas,
In canum vertaris ebur; dein mistus arenis,
Saxa liges saxis, paries fit pariete iunctus,
Et tegat egregios testudo iniecta Penates.
Tu Regum illustres aulas, postesq. beatos
Natiuo argento relinis, tu nube niuali
Incru-

Incruſtare ſoles muros, nec gratia deſit
Fictilibus tua candidulo fulgore coruſcis.
Nec ſatis, in medicos variè traduceris vſus.
Sparse recens fluuio, tu diſcutis, extrahis, vris;
Vlceraq. in primis inſerpere cœpta, coerces,
Marcentemq. cutem mordes, vlcuſq. repellis,
Adq. cicatricem ducis, cum lotus aceto
Mordaci fueris, roſeaq. refuſus ab vnda.
Quid quod luxatis membris mira arte mederis,
Sed reſinatus,pinguiq. abdomine cinctus?
Strumoſas eadem ſoluent medicamina partes.
Nunc ſatis eſt laudum.referet venientibus annis
Vates vberius, nomen cui germina noſtra
Dulce dabũt,ſacroſq. Helicon indulſerit amnes.
Candeſcit tua forma palã,remouete flagrãtẽ
Lignorum ſiluam Socij. depreſſa recumbit
In latera excoctum marmor, viridiq. colore
Pingitur. Excipiunt læto clamore loquentem.
Lux oritur,minuunt ignem,lapidemq. recoctum
Mole trahũt plena,explorant fluuialibus vndis;
Liquitur, expirat, rurſumq. incendia iactat.
Iãq.operi data sũma manus.ſub opaca receſſi
Antra Cyclops,Siculã remeat Vulcanus ad Aetnã;
Dij ſpatium metandę Vrbis circumdare aratro
Inſtituunt,liquidis alij fornacibus vſtos
Educunt lapides, alij ſcrutantur arenas.

F I N I S.

B. CARD. CAESIVS
IO: BAPT. LAVRO.

VT hanc Muſarum tuarum Phyſiologiam valdè amem, facit non tam Vallepontium meum.in quo lucubraſti; quàm nouitas argumenti, quod cultiſſimis carminibus ornandum ſuſcepiſti. Quare ago tibi magnas gratias: & quemadmodum eo nomine plurimum ingenio tuo eruditi viri debebunt, quorum Remp. litterariam adeò eleganti opere locupletaſti; ita amiciſſimam voluntatem tuæ humanitati repono, & occaſiones iuuandi tui auidè expecto. Vale Romæ XX. Martij 1611.

Perill. ac Reuerendiss. Viro

D. IO: BAPTISTAE LAVRO

Protonotario Apostolico

S. D. N.

VRBANI OCTAVI


ab intimo cubiculo.

IO: THOMAS GILIOLVS.



Ides hic vir clarissime, quantum sit, & quàm Natura, vt ait Aristoteles in Poeticis, nobis insitum imitandi studium. Legi sæpius, ac sæpius Titanopoeiam *tuam; sæpissime etiam admiratus fui; credideram vero, me tantùm lectorem & admiratorem futurum, ecce autem repente imitator factus sum. Id verò contigit mihi erga te, quod olim Platoni erga Orpheum, cuius Theologiam imitatus quidem est Plato, at Poetico stylo deposito, solam allegoriam, & mysteria soluta oratione prosequutus. Vtinam potuissem assequi, quod secundæ aut & inferiores Mentes erga primam: dum enim illam, Orbem omnium maximum mouentem imitantur, suosquoq; ipsæ orbes minores circumuoluunt, sed perfectè, sed aptè, sed diuinè. Vereor ne irritus conatus meus ostendat, magna inimitabilia esse, & confirmet vetus adagium, aut minus animi, aut plus potentiæ. Quicquid tamen de hoc futurum sit, omnia æqui bonique consulam, dummodo hac* de Calce *allegoria, quam Tibi dono, & offero, calcis officium in communi nostra*

stra amicitia impleat; nouo glutino veterem beneuolentiam concilians. Nam si à diuturna absentia, vt ait in Ethicis Aristoteles, imminet periculum, ne amicitiæ quandoque obliuio subrepat, & ne proinde multas amicitias dissoluat inaffabilitas; hisce interdum munusculis, quæ secundum Platonem sunt mentis filij, honestæ amicitiæ, quæ tota mentis & virtutis est opportunè succurrendum. Memineris interim vir humanissime, te Vatem & Sacerdotem esse, vtrique verò Calcis *munus, & vim à* Platone *assignatam.* Vates, *inquit in Conuiuio,* amicitiæ inter Deum & homines, opifex est, *Sacerdotes autem, ait in Ciuili, habere scientiam, vt Deo nostra dona, prout illi placere sciunt offerant, & ab illo per preces bonorum adeptionem populo impetrent. Dum ergo summo, & clementissimo adstas Principi, noris* Patriam & Conciues *tuos te optare Vatem, te sibi omnes augurari* Sacerdotem. *Vale* Perusiæ *Nonis Octobris* CIↃIↃCXXIII.



DE CALCIS FABRICATIONE

PHYSICA ALLEGORIA.



CITE quidem dixit Aristoteles, nos ad Cœlestium cognitionem cum maiore conatu, & oblectationis sensu rapi, quàm ad hæc inferiora, corruptioni & mortalitati obnoxia declinemus. Idq. non à ratione alienum est: cælestibus enim animus noster apprimè affinis est: lumen illa habent, calorem, & motum, quibus vim prolificam, & omnia regentem inseruit Deus: Animo nostro pro lumine est cognitio; pro calore, affectio; pro motu, in corpus animandum progressio, in quo fœcunditatis, & regiminis sui vim explicat admirabilem. Imò si licet in hoc à Platonis dogmate, quamuis antiquato, non recedere, initio summus Opifex numerum Animarũ astris parem disposuit, singulis tanquã vehiculis, singulas annectens: hoc insuper fœdere interposito, vt quæcunq. rectè curriculum viuendi à natura sibi datum confecisset, ad illud astrum, cui prius aptata fuerat, reuersa, beatam ibi actura esset vitam; hinc factum, vt tanto animi ardore ad illa diuinissima sensibilium, vt vocat Aristoteles, reduces identidem mentes auidissime reuertantur. Ceterùm inferiora etiam hæc studium & laborem nostrum non mediocri iucunditate atque vtilitate compensant: numero longè plura sunt, cognosci plenius possunt, nobis propiora, & naturę nostræ accommodatiora, vt ex vete-

1. de partib. cap. 5.

In Timæo.

2 Phys. 45.

Idem Arist. dist. 1. de part. cap. 5.

Adagiũ

vetere adagio, in nostro regno simus, qñ isthæc animo & contemplatione complectimur. Priora illa sæpius ita grauibus difficultatibus implicant ingenium, vt nō parum vtile propterea videri possit aliquando Plutarchi consilium, de magnarum rerum cognitione desperasti, minora scrutare: neque semper Glauci iudicium aurea cum æneis commutantis, respuendum esse crediderim. Præsertim cum, Plinio annuente, nihil sit tam paruū ... quod non possit gloriā parere. quæ si vera de vllo vnquam fuere, de natura profecto, & de illius operibus, qualiacunque sint, & vbicunque genita, verissima esse comperiemus. Cur enim Ægyptijs Natura Maga, nisi ob sapientiam in agendo, quæ in minimis etiam maxima? Huc tendit illud Plotini, quæcunque natura fiunt, sapientia facit; rursus illud, natura prouidentiæ instrumentum. huc respexit Cicero dicens, Natura nihil callidius, & Aristoteles naturam Dæmoniam, idest scientem appellando. Auerroes eiusdem infima etiam opera ita fuit admiratus, vt non sine Mentium separatarum impulsu illa fieri existimauerit. Galenus item mentem ait extensam esse per aërē nos ambientem, ab eaque naturam, in animalibus præsertim accuratissimè operantem, regi. Platonis consilium est, vt minores characteres, aut saltem magis distantes lecturus quispiam, eosdem aut similes, maiores aut propinquiore in loco positos, si possit, prius inspiciat; promptius enim, his visis, ad minores, aut remotiores demum perlegendos accessurum. Plurimas imagines, & notas in sensibilibus formauit natura, in Cœlo maiores, quidem, sed propter im-

De Curiositate. Ilia. 2. lib. 15. c. 14. Ficinus in Apologiam Platon. Enn. 5. lib. 8. c. 5. 2. de Nat. Deorum. 2. Meta ph. c. 18. 17. de vsu partiūc. 1. 2. de Reg pub.

mensa, quibus à nobis distant spatia, aspectui & intelligentiæ nostræ minores. in sublunaribus his alias effinxit propinquiores nobis, & ideo obtutui nostro maiores mole: ad has itaque primo oculos conuertamus, in his mentem exerceamus, tuta spe freti fore, vt hinc alaeriores ad illa, quæ longius recesserunt, simus animum erecturi. Admirabilis quidem, vt diximus, Natura, quamuis sola à nullo adiuta, agat, verùm quando artem sibi sociam adsciscit, dici vix posset, quantam inde perfectionem

Enn. 5. lib. 8. c. 1. sibi felicissimè adaugeat. Plotinus *Artes* inquit, non simpliciter quod oculis cernitur, imitantur, sed ad ipsas recurrunt rationes, ex quibus constat ag itq. Natura, præterea plurima ex se ipsis faciunt, aliquid insuper, si perfectioni quicquam desit, adiungunt. Notũq. est illud Aristo-

2. Phis. 79. telis, ab Arte Naturam perfici

Calcem opus admiratione dignissimum facit apud nos Ars, verũ Naturæ viribus suffulta, in eaq. efficiẽda naturalis magia, id est actiua physiologiæ portio effectus suos ex mutua & opportuna applicatione producens, cernitur; hic ignem saxa emollientem, aquam inflammantem, durissimos lapides tandem viscum & glutinũ fieri, pro continendis vastissimis ædificijs, vix sensui credentes conspicimus. De hac animus est pauca, non quidem disputando, & didascalicè, sed potius canendo, vt sic dicã, referre. habeo enim laudati huius itineris insignem ducem

Alexã-der. Ge nial. 1. c. 27. Cel. li. 5. c. 7. Virum clarissimum, de quo illud vsurpari potest, post victoriam laureatis meritò vtitur fascibus. Hic Apolline & Musis aspirantibus transtulit hanc *Physicem in Poëticen*. eius ego vestigia sequuturus, imo quæcunque ipse, vatica arbore redimi-

dimitus, dum olim de hoc carmina pangeret, præsagiebat, enarraturus, imploraui Mercurium, vt tanquam disputandi subtilis & acerrimus opifex, me hanc Physicæ partem tractantem doceret; respondit se cum Saturno, vel cum Ioue grauia pertractare, at cum Apolline & cum Musis ludere, aptè tamen & diuinè; ad ludum ergo Poëticum, id est ad allegoriam me totum conuerti, nam hæc etiam furoris Apollinei pars est, & ne penitus viderer in re physica à Physicis me retrahere, ideo omissa Ethica, & Theologica, *Physicam de Calcis fabricatione texendam mihi proposui Allegoriam.* Non iniucundum fore spero, docebant veteres Mathematici, si nubem roridam aspiciens ab ea ad Solem sese attolleret oculus, venustissimum discoloris Iridis aspectum illi oblatum iri, cum tanto admirationis sensu, vt Thaumātis, id est admirationis si iam illā Plato appellauerit. Ita si à fabula aut ab alia qualibet narratione ad sublimiorem veritatem sese erigat altius, & suspiciat intellectus: orietur inde allegoria, non paucioribus, neque minus gratis conceptionum luminibus, quam sit Iris coloribus picturata. Silenus Alcibiadis veteri prouerbio ferebatur, de re, quæ prima fronte vilis, ac ridicula videretur, interius tamē inspecta, eximia, & insignis iudicaretur. Et Alcibiades encomium Socrati dicturus, huiusmodi Silenis illum similem esse dicere non est veritus: exteriora enim illi Philosopho rudia, vilia, neglecta; interior tamen animus cum numine potius quam cum homine comparādus. *CALX* quoq. eiusdē generis Silenus est, rudis aspectu, tactu aspera, igne deformata, proxima vt in puluerem, quasi in

Ficinus de Sole c. 1.

De tribus generib. Allegoriæ Cœlius l. 18. c. 6.

Plutarch. de Isid.

In Theæteto.

Adagiū.

In Cōuiuio Platon. oratione vlt.

in nihilum redigatur; tamen si illius intima, Poeticæ huius allegoriæ spiritu ducti, penetrauerimus, magna omnia, egregia, admiranda reperiemus.

Finis Calcis vnire. 2. de anima. 49. Quia verò à fine omnia denominanda, & qualia sint iudicanda censuit Aristoteles, ideo in ipso allegoriæ ingressu *opus, finemque Calcis* attentè considerandū duxi, atque ita inueniendum, quid illi allegoricè aptè, & accommodatissimè respondeat. Ad plurima quidem opera conferre *Calcem* author est Plinius: Hedui, inquit, & Pictones ea vberrimos faciunt agros. Aphri eadem vina sua condiunt: eiusdem in medicina magnus est vsus; ceterum *præcipuum illius munus est vnire, coniungere, & conglutinare ædificiorum partes*, vt stabilis inde moles, procul ab omnis ruinæ periculo consurgat, inspecien perfectissimæ vnitatis. Vniuersum hoc, quod Mundum appellamus, insigne est, & magnificum ædificium, Domum Dei, & templum illud vocat Philo; sed ò quàm ex dissimilibus & diuersis partibus conflatum; nisi in eo aliquid sit, quo spiritualia, & corporalia, superiora. & inferiora, ita distantia, & minus aptè cohęrentia coniungantur, futurum vt non vnum, sicut illud vocāt Pythagorei & Aristoteles, sed potius veluti discors multitudo cum aliqua imperfectionis nota consistat. Scio huius vniuersi partes inter se connecti mutua sympathia, quæ societas est Galeno, Ciceroni naturæ cognatio, & consensus. nituntur hæc proportionibus & similitudinibus inter rerum species repertis, per quas veluti per escas, & incitamenta, alliciendæ vnius ad alteram, ita res coniunguntur, vt eodem quasi naturæ instinctu lætentur. Non me fugit alteram

lib. 17. cap. 8. lib. 14. cap. 19. lib. 38. cap. 14.

De Sōnijs.

De Plāgatione Noë.

Prima Cęl. 4. 5. Metheor. cap. 1. 2. de Natur. Deor.

etiam

etiam vnionis huius esse causam; quia quæ in toto sunt, & in omnibus eius partibus, eadem in singulis etiam reperiuntur; elemẽta in Cœlo modo cęlesti, Cœlum in elementis modo elementari. Notum illud Auerois, Lunam esse cognitione quadam similem terræ infimum sidus infimo elemento. addunt Astronomi Mercurium esse aquam veluti planetam in omnia transformabilem; Venerem ob temperatum calorem & viuificum esse aërem; Solem igni respondere: tunc ordine inuerso, Martem ignem, Iouem aërem; quippe Veneri qualitate cognatũ, Saturnum aquam senem damnatæ frigiditatis, atra bili abundantem, quæ Hippocrati est aqua; octauam demum spœram fixam non erraticam esse terram. ita elementa in cœlo. Videamus, quomodo cœlum in elementis: Quatuor potissimum in Cęlis dignissima suspicimus, motum circularem, agendique virtutem, hæc duo in ignem quàm maximè conuenere; diaphanam, & à lumine permeabilem substantiam, hanc aër etiam & aqua à natura nactæ sunt; impassibilem denique corporis constitutionem, hæc præcipuè in terra. Non parum etiam ad connexionem partium vniuersi confert (dicam more Platonico) forma, quæ vulgo Mundi Anima appellatur, de qua dicunt Platonici, Deum in medio eam posuisse, & extendisse per totum, vt formaret & impleret vniuersi molẽ, sicuti enim animal quodlibet est sua anima vnũ, ita ab hac vniuersali anima magnum hoc animal. Ficinus, Anima diuinorum speculum, vita mortalium vtrorumque connexio. Galenus hanc eandem vocat spiritum primum, & vnitatem, substantiam illius in

Picus Præfa. in Heptalũ. Ficinus in Timeum cap. 24.

2. Cæl. 49. lib. 4. de moribus.

Ficinus in Timæo c. 26. Arist. 2. de Anima 7. Theol. lib. 3. cap. 2. lib. 9

animal in ſpiritu, officium verò vnit atis nomi-
ſitquod ne appoſitiſſimè ſignificans.

in vte- Verum ſi quid aliud Ædificij huius
ro c. 1. extremas partes, & membra connectit,
Hept. hoc potiſſimum facit homo. Doctè, Pi-
lib. 5. cus, homini mancipantur terreſtria,
cap. 7. fauent cœleſtia, quia & cæleſtium, &
terreſtrium vinculum, & nodus eſt: itē
Deus omnia in ſe continet, quia om-
nium principium, homo quia omnium
1. Quod medium. Philo iure dixit ſolum hominē
dete- cœleſtem in terris eſſe plantam, eius ra-
rius po dicem caput videlicet, in cœlum vſque
tiori in- conditorem protendiſſe, ramos in terrā
ſidietur demiſiſſe, vt extremi vtriuſque particeps
De con vtrumque ſui vinculo colligaret. Gale-
ſuetudi nus ea, inquit, animi noſtri pars, quæ
ne c. 4. ſummum in nobis obtinet principatum
& in ſupremo noſtri corporis loco ha-
bitat, nos à terra, vt cum cœlo affinita-
Picus tem habeamus extollit. Neque verò ho-
orat. de minem omnium nexum, & vinculum
Homi- eſſe, difficile erit perſuadere illi, qui in
nis pię ſacris audiuerit, eum omnis creaturæ
ſtantia. nomine inſigniri. Quæ cum ita ſint, à
Math. nemine reprehendendus iure videbor, ſi
vlt. hoc ipſo vniendi & vinciendi munere
Homo inſpecto, allegoricè *hominem Calci* dixerim
calx v- *eſſe quàm ſimillimum*.
niuerſi. Generandæ *Calci neceſſarij ſunt, lapides*,
Mate- homini materia, ex lapidibus autem
ria Cal homines extitiſſe, facilè probauerim, ſi
cis La- illud in memoriam reuocabo, quod de
pis. Pyrrha & Deucalione veteres fabulati
Homi- ſunt: hi genus humanum aquarum mo-
nes ex l e & inundationibus totum penè obru-
lapidi- tum & conſumptum moniti oraculo
bus. Themidis, iactis poſt tergum lapidibus
feruntur reſtituiſſe; factum ita elegan-
Meta- ter refert Ouidius.
mor. *Inque breui ſpatio Superorum Numine ſaxa*
lib. 1. Miſſa

Missa Viri manibus faciem traxere virorum
Et de fœmineo reparata est fœmina iactu.
Inde genus durum sumus

nempè quia ex durissimis lapidibus prognatum. Materia quoque, ex qua sicut reliqua fiunt, ita quoque homines iuxta propriæ conditionem naturæ in lapide optimè exprimitur. Apuleius tria in vniuersum materiæ tribuit improcreabilem, & incorruptam esse, rudem qualitatisq. omnis figuratione viduatam; figuratum tamen omnium capacem. Lapis ob suam quasi impenetrabilem duritiem ad longissimum etiam æuum incorruptus manet. ex se informis, aut planè deformis, formarum tamen & figurarum quascunq. opifex voluerit imprimere accommodatissimum receptaculum; *Lapis ergo materiam repræsentat.* Neque proposito meo oberit lapidem esse durissimum; hominem autem ex mollissimo, & humidissimo semine procreari: nam huc aduocanda protinus est medicorũ celebris distinctio, quod actu est molle, id facultate esse posse durum, ita illi flauam bilem siccam appellant, non quia huiusmodi actu sit, sed quia potestatem habeat, & vim exsiccandi: semen etiam, ex quo homo, molle est tactu, sed intus habet aliquid facultate durum, de quo illud Ouidij vsurpare licet

De Dogmate Plat.

Gal. 2. de nat. facult. cap. 9.

Quod solidum est flectiq. nequit mutatur in ossa

hucusque materiam, ex qua nostra Calx perlustrauimus.

Nunc locum, in quo reponenda pro hoc perficiendo opere demonstremus, *Lapides pro fabricanda Calce in loco abdito vndique occluso recondi debent.* semini etiam ex quo futurus sit homo natura prouide locum

Locus Calci scrobs homini vterus.

locum & recessum aptauit, in quem cõiectum, impedita subtiliorum spirituum expiratione facilè mutetur in hominē. Grauis olim disputatio Philosophorum ingenia agitauit, an ex quauis materia, etiam putrescente, quocunque in loco generari posset homo, Auicennas, referente, & ita pugnante Auerroës, eò processit, vt diceret, ex materia etiam putrida, cœlestis influxus virtute, fieri posse hominem. Diodorus siculus ait simile vero esse eos, qui sub meridie habitant primos homines, ex terra fuisse genitos. Plato Atticæ terræ id potissimum tribuit vt hominem genuerit, vel eo ductus argumento, quia abundè homini Atticum solum suppeditaret alimenta. Cęterùm omissa primi hominis productione, de qua sacra nos volumina, arcana fide, & infallibili, docuerunt, de illa generatione, quæ natura auctore frequentatur dicendum, perfectissimum animal non vbique, neque ex qualibet materia, sed ex certo quodam semine, & loco determinato generandum; non vndique enim sua trahit alimenta, non ergo vbique suam reperire potest genitricem, si quicquam Platonis allata ratio persuadet *hic locus scrobem coquendis pro calce lapidibus necessariam* nobis euidentissimè repræsentabit.

Ad altiora deinceps animum conuertamus: *efficientem causam calcis habemus ignem*. Quid sit hic ipse ignis Stoicorum calculo videamus; Laertius consent, inquit, Stoici ipsam naturam esse ignem. Ad propiora autem accedendo ignis erit in præsentia nobis cęlestis calor, de quo Auerroës, iste calor generat, & ideo est simil's calori artificiali, quem ars mensurat pro aliqua operatione. Aristoteles ab

2. Metaph. c. 15.
8. Phys. c. 46.
De fabulosis Antiquorũ gestis lib. 4.
In Menexeno
Gen. 1.
Cęl. l. 2 c. 19.
In Menexeno.
Efficiēs causa ignis calor cęlestis.
In Zenone.
12. Met. c. 18.
2. de Gen. Anim. c. 3

ab eo, inquit, fœcunda fiunt semina, & proportione respondet elemento stellarum. Iubet quidem ibi ne ignem appellemus, at præualeat in hoc Plotinus, qui ignem hunc vocat, & cœlestem. Æqualis, inquit, & quietus est cœlestis ignis, & maximè naturæ nostræ accommodatus. Quod si rerum aliarum natura constantium procreatio igni tribuenda, hominis profectò initia, quàm maximè in ignem referenda; Deus enim ignis, tam Stoicis, quàm sacris dicitur, hominis autem animus à solo Deo emanat: hinc crediderim factum, vt terra, aqua & aëre alia etiam vtantur animalia, igne solus homo.

Enn. 2. lib. 1. c. 4.

Plutarcus de placitis c. 6.

Deuter. c. 4.

Cœl. lib. 15. c. 15.

At ferunt obseruandum etiam esse Lunæ motum. Dixerim ego naturam nunquam aut hominis, aut alterius cuiuslibet generationem aggressurã fuisse, nisi Lunã, eiusque propensam mutabilitatem respexisset. Luna sunt species rerum mortalium, damna patitur lumin s Luna, at reparat quotidie, speciebus rerum caducarum: singularia pereunt, sed alia pereuntibus similia renascuntur. Manent præterea species tali compensatione contentæ. Platonicam Peniam quis non agnoscat? adit illa Porum abundantiæ Deum, fit voti compos, ex illo concipit, tamen egestate semper miserè premitur, nunquam tanto quamuis sociata Deo Penia esse desinit. Luna ob innatam luminis priuationem Penia est: accedit ista ad Solem abundantiæ Deũ, ipsius luminis fontem, illustratur, amorem concipit; amat enim Luna suum Solem, nunquam tamen tota impletur, per partes illuminatur, illac splendet, hac tenebricosa est, nunquam egena prorsus, quia semper pro parte lucida,

Lunæ motus obseruãdus.

Species rerum mortalium veluti Luna.

Horat. ode 7. lib. 4.

In Cõuiuo

vn-

nunquam tamen opulenta quia semper ex parte obscura, continuè cum lucro iacturam luminis permiscet.

In hac perpetua vicissitudine, rerum mortalium species semper inuertuntur; accedunt illis per generationem singularia, verum per mortem, alia subducuntur: reparat quidem singulorũ productione aliqua sua damna, verum ob aliorum corruptionem noua & quotidiana semper patitur incommoda. Quia ergo agimus de hominis generatione, quam ad istius speciei perpetuitatem dirigit natura & ad compensanda cum aliqua æternitate mortalitatis detrimẽta; ideo Lunam huius ipsius typum, & imaginem referentem obseruandam esse statuunt sapientes viri.

Ficinus Theol. lib. 18. cap. 9. Arist. 2. de Ani. 35. 2. de Gener. 59. Trinoctiũ uigilãdũ. Orpheus in Argonauticis. Appol. l. 2.

Trinoctium deinde pro coquenda calce custodiendum est: Pro homine generando nonne pariter trinoctium interesse debet? meminerimus oportet antiquæ fabulæ, qua fertur Iuppiter ex Alcmena Herculẽ suscepturus, ad eam nocte accessisse, postea extendisse in tres noctem vnam, & trinoctium effecisse. Noctu operatur Natura, silens, clam, obscurè, imperceptа; Galenus inuenire inquit facultatem, qua sua opera facit natura, humani ingenij captum superat. Inter alia Iouis cognomina, hoc etiam fuit, vt Scotitos, id est, tenebricosus vocaretur. Lupus quia noctu videt, & noctem sibi eligit vt agat, Apollini sacer fuit, & Mineruæ ob id ipsum amica, & comes passim Noctua appingitur. In homine autem gignendo trinoctium necessariò extendendum fuit, paulatim enim, & per tres gradus homo, quousque perficiatur, ascendit. Obseruat Aristoteles primo nos viuere ea vita, qua etiam animatæ sunt

15. de vsu par. c. 10. Pausan. in Laconicis. Pierius lib. 11. Ælian. lib. 10. de An. c. 26. 2. De Gen. Anim. c. 3

sunt plantæ, & vegetalis nominatur, deinde sentiente, qua etiam bruta animalia, postremo rationali, qua iam sumus homines; en tibi ipsum trinoctium per hos tres gradus propagandum.

Prima nox, qua vegetans siue altrix anima producitur, *Vulcano data*. Meminisse debemus hanc animam esse principium, quo propriè viuimus, vitam autem esse primam calidi participationem, ita vt dixerit Galenus vitam in calore positam, in corde & hepate membris calidissimis pedem suum fixisse tanquam in natali solo. Vulcano itaque caloris Deo, istius primi gradus productio, & regimen tribuendum. In *Fornacibus* ille suam exercebat artem, altrix hæc anima in ventriculo, & in intestinis: à Ioue, vel fortasse à Iunone de Cęlo depulsus ille fuit in Lemnum, vel vt alij volunt, in mare, hanc animæ portionem coquendis cibis destinatam, procul à capite sede mentis, ait Plato, à natura in ventrem inferiorem, ne contemplationibus & Philosophiæ esset impedimento, relegatam, & inuolucris intestinorum quasi vinculis & compedibus alligatam; docuit Vulcanus per ignem in varias figuras deducere metalla, hæc virtus calore cibos digerit, & permutat. Quia vero ad hanc eandem partem animæ spectat vis generatiua, ideo Vulcanus Veneris maritus olim dictus, facem in nuptijs ferre, obstetricis munere functus erga Iouem, quando pro prio de capite Mineruam edidit, addideruntque veteres à Vulcano primam mulierem, Pandora nomen fuit, Iouis iussu formatam. Vita ergo in calore sita, eodemque marcescente languens, meritò Vulcano hac prima nocte producenda committitur.

Primo vegeta lis anima generāda sub Vulcan. prima nocte.

2. de Anim. De Iuuentute c. 4. 9. Met. c. 10.

Lucianus de Sacrificijs. Home. Ilia. 1. & hym. in Apollin. In Timæo. 2. de Anim. Euripides in Troadibus. Cęl. li. 7. c. 20.

Sensiti ua fit idq. per sensum: sensitiua enim, docente Aristotele animal facit, hoc non alterius, quàm *Neptuni opus*. Galeni, cui in hoc cõsentit vniuersa medicorum Schola, doctrinam, & placitum recolendum, sensum esse à cerebro frigido, & humido principio oriundum. Ergo Neptuno Maris, id est, humoris Deo sensus dominiũ concedamus. Tria in hac parte sensitiua Physici potentiarum genera collocarũt, vim cognoscendi, quæ etiam imaginum formatrix dicitur, deinde concupiscendi, tertiam irascendi facultatem; Hæc tria in Neptunum, & in mare illius regnum mirum in modum quadrant.

Altera nocte de uiuente faciendum est animali.

sub Neptuno. 2. de Ani. 16. 7. de Decret. cap. 8.

Tres potentiæ sensitiuæ, Cognoscens, Concupiscẽs, Irascẽs

Neptunus ab Antiquis effector imaginum dictus, fortasse quia in aqua, cuius hic est dominus, spectra & rerum figuræ pro cognitione adiuuanda, veluti in speculo repræsentantur. In mari autem concupiscibilis ciborum appetitus optimè elucet, nam propter hoc mundi venter olim appellatum. Quod autem ad libidinem venereorum spectat, scimus mare salsum spumosum, deque eius spuma Venerem enatam extitisse, quo nihil ad hoc propositum dici posset accommodatius.

Gyral. d. Syntag. 5. ex Phornuto. Pierius lib. 34.

Concitatum autem, & martialem irascibilis potentiæ furorem, vbi melius, quàm in mari, & in Neptuno comperies? qualibet leui aura agitatur mare, & quacunque leuissima iniuria iracundi animus commouetur; æstuare, & voluere fluctus dicitur mare, pariter iratus; Neptunus ipse creditus furens, crudelis, & omnium Deorum iniustissimus, Hippolytum quippe, causa non cognita, Theseo per subitam iram impellente, immissis in eum Phocis, immanissimè occidit, Neptunus

Æneid. lib. 12. Comes lib. 2. Mythol. c. 8

ptunus equum dedit, ferox & pugnacissimum animal, quod etiam teste Galeno in iracundiæ symbolum affertur. atque hinc factũ, vt violenti, & audacioris animi homines, vt Cyclopes, Lestrygones, & Aloidæ filij Neptuni omnes vocati fuerint. mare etiam in perniciei Hieroglyphicum fuisse acceptum scimus. Ægyptij que Typhonem Osiridis interfectorem dum auersabantur, odium, quo mare prosequebãtur, ostendebãt, nam in illud illapsus Nilus (hic illis erat Osiris) diuulsus in plures partes, miserè absorbebatur. Sensus itaque, siue originem respicias, siue tres illius facultates, cognoscendi, concupiscendi, & irascendi, sub Neptuni, huius *Secundæ noctis* custodis auspicijs producendus erat.

3. de Decre. c. 3. Gel. li. 15. ca. 21. Pier. lib. 31. Pluta. de Isi. de.

Accedit vltima nox, cui pro addendo huic operi colophone *Apollo* præsidet. Plato Dijs minoribus permittit corporũ brutorum, & facultat[...]m ad ipsa pertinentium procreationem, verum hominis & intelligentis animi, siue mentis originem non nisi summo Deo omnium primo assignandam esse contendit. Eò nos quoq. peruenimus, vbi de mentis il lapsu, quę sola hominem facit, agendum, ea exterius aduenit, ideo Apollini in quo prima mens denotatur, illius procreatio & initium acceptum ferendum. Deum ipsum suis muneribus, quibus ab antiquitate fuit olim insignitus, optimè Apollo nobis demonstrat. Ob quatuor inter omnes Deos creditus Apollo excellere, Musicam, Vaticinium, Medicinam, Iaculatoriam. Consideremus hæc omnia prius in Sole, qui fabulosè Apollo dictus est. Medius hic inter Planetas illorum motus, quoad velocitatem & tarditatem, musicis quibusdam proportio-

Anim. intellectiua infundenda nocte tertia. In Timeo. 2. de Gener. Anim. cap. 3. Ficin. lib. 4. Theol. c. 1. Plato in Cratylo.

nibus contemperat, illustrat omnia, & ideo vaticinij auctor creditur, herbis & mineralibus vires salubres elargitur, idcirco medicus; radijs omnia penetrat, & ferit, ideo iaculator. At in Deum si hæc omnia transtulerimus, Musicum appellabimus, quia totum hoc vniuersum, & singulas illius partes apposite ex mensura, & ordine suæ sapientiæ constituit: Vaticinium illi tribuemus, nam ab illius illustratione omnis est facultas futura præsagiendi: Medicum dicemus, quia opportunè omnibus adest, & prodest: demū Iaculatorem, vel quia pœnis, vt iaculis, confodit noxios, aut quia è longinquo & eminus, veluti iaculator agit. Hunc ergo Apollinem summum rerum omnium opificem, sui immediatum authorem agnoscit humana mens. *Concurrentibus* itaque per debita temporum interualla *his tribus numinibus, absoluta est calcis*

Calci aqua super-infundenda. Homini sapientia.

fabricatio, perfectè iam formatus homo dicique potest postremus fabulæ actus additus, sicut vetus adagium euulgauit. Verùm artifices ipsos imitando paulo vlterius opus prosequamur. *Inutilem* illi esse *calcem* iudicarunt *nisi super affusa aqua eliquaretur*, & subtilissimæ arenæ demum permisceretur. Nos etiam aquam de purissimo haustam fonte aut flumine *calci nostræ* aspergamus, minutissima etiã arena ne desit. Quid vero aliud aqua, quàm sapientia, quàm doctrina, quàm Philosophia? Mercurio diximus paulò ante, & Saturno inter Planetas aquam tributam fuisse, eos verò scimus esse summos sapientiæ præsides. Apollinis Clarij Sacerdos non nisi aquæ haustu vaticinabatur. Ad propiora accedamus. *Aqua* rerum species, tanquam diaphana repræsentat, eadem à sordibus tanquam hu-

Pier. li. 38.

Cel. li. 27. c. 5.

humida lauat, & purgat. duo potissimè sapientiæ munera, alterum in rerum contemplatione, alterum in actione consistens. Ferunt Poëtæ cęlestia corpora vesci aqueis vaporibus, terram autem aquis fœcundari, Philosophia pariter Cęlum, idest, mētem veritatis cognitione, tanquam cibo alit, sensitiuum autem affectum ita moralibus præceptionibus enutrit, vt facilè ex ipso pulcherrima virtutum germina surgant, & dilatentur. Aquam dicebat Pindarus, omnium natura preciosissimam, vilissimo tamen pretio æstimari, hoc ipsum in sapientiam quadrat appositissimè. de Puteo & aqua Æsculapij dixit quondam Aristides Orator, & Sophista, æquè eam tam sanis, quàm ægrotis prodesse; nemo etiā est, siue vitijs languens, siue mentis sanitate viuidus, cui non sit aqua sapientiæ salutaris; in puteo quidem est veluti olim illa Æsculapij, quia difficultatibus obsita, & in recondito recessu detenta, verum si haurias, si gustes, suauissima, & cuicunque siue cibo siue medicina egeat, maximè opportuna. Poëta Hetruscus vatum antiquiorum vestigia sectatus, sapientiæ profectum significaturus, duo nobis flumina proposuit; Alteri Lethes nomen est, cuius aquę mala præterita, cum omni vitiorum, & prauarum perturbationum mole, obliuioni tradunt. Alter cui nomen Eunoë, bonam mentem, & vitiorum prauis affectibus iam spoliatam, attollit suis aquis ad diuina, vt tandem illam consequatur, quæ Musæo virtutis est præmium, æternam ebrietatem. Hac aqua veræ Philosophiæ perfundi debet animus non minus, quàm elementari soleat Calx aspergi.

Plato refert in Euthydemo.

In or. de puteo Æsculapij.

Dātes Purga. cant. 31. 33.

Plato 2. de Rep.

Tria sub aquis patitur *Calx*, primò feruet, calidos deinde halitus attollit, vt tota planè videatur in Cęlum vsque rapi: postremo in hoc ipso feruore deficit, & liquescit, vt paulò attentius inspicienti sub aquis mori, & in aliam mutata formam videatur.

Ardet Philosophus amore sapientiæ 5. de Repub.

O raram, & incredibilem sapientiæ virtutem, ea si vel leuiter animum irrorauerit, accendit amore sui, ita vt faciat, Platonis verba, ad quamlibet doctrinam degustandam propensiorem, ad discendum promptissimum, inexplebiliter inhiantem, verissimè, vt summatim dicam Philosophum, sapientiæ cupidum, veritatis cognoscendæ amatorem. Mirum inquit Plinius de Calce loquens, aliquid postquam arserit accendi aquis, at hoc mirum accidit in hac aqua, quam æthercam vocat Philo, quamque Deus supernè instillat, inquit, generosis, & spectandi cupidis mẽtibus. Ad pulchritudinem, ait Plotinus, non omnes æquè incitantur, sed omnium maximè amatores, horum ad pulchri conspectum excitatur amor, admiratio, & omnium iucundissima concitatio, talis amator est vir philosophus.

lib. 36. c. 23.

De Profugis.

Enn. P. lib. 6. c. 4.

Attollit desideria Pylosophus, vt fumos.

Dum verò sic ardet, & feruet sub aqua sapientiæ studio veritatis Philosophus, mirum quantos hinc ad superiora desideriorum fumos, & halitus extollat, quàm auidè ad diuinorum cognitionem suspiret. Plotinus genus, inquit, est hominum diuinum, in quo sunt, qui supernam lucem acutè suspiciunt, ad eamque se prorsus attollunt, ad hanc regionem ascendit quicunque ad amandã trahitur pulchritudinem, & natus est re uera philosophus, hic pulchritudine corporis non contentus, consurgit ad

Enn. 5. lib. 9. c. 1. & 2.

animi pulchritudinem, inde ad cauſam eorum, quæ in anima ſunt, quoſque tandem ad primum ſe ipſo pulchrum peruenerit. *Ita noſtra Calx* eleuat ſub his aquis cęleſtium ſuarum cupiditatum fumos, vt ſic dixerim, & vapores.

Tandem verò ibidem optatiſſima quadam morte deficit. Luna quando Soli ſeſe totam ſubijcit, lumen, quod ab eo recipit in ſuperiori ſui parte ita vniuerſum colligit, vt inferior facies, quæ terram reſpicit, omni viduetur ſplendore, nec raro contingat vt ſuſpicienti, neque in Cælo videnti vllam prorſus Lunam, toto è numero ſtellarum excidiſſe credatur; nihilominus beatiore quàm vnquam aliàs, tunc temporis fruitur vita ſuo ſuppoſita Soli, illique arctiſſimè coniuncta; in altiori ſui parte abundantiſſima luminis effuſione ſplendidiſſima. Non poſſet aptiore imagine Philoſophus demonſtrari. duæ in illo facies; ſuperior, quæ mens, inferior quæ corpus, & ſenſus: priorem illam omni ſtudio conatur colere, & illuſtrare, hac rapitur ad diuina, hac à diuinis illuminatur, propterea verus amator ſui, inquit Ariſtoteles, quia præſtantiſſimæ ſui parti maximè obſequitur, eique in omnibus honeſtis, & bonis accuratiſſimè obtemperat. quia verò alteram ſui partem deſpicit, quæque ad corpus ſpectant, neque ornatu, neque cultu vllo decorat, nihil ſibi in pecunijs, honoribus, voluptatibus vendicans, ideo vulgarium aſpectui, qui non niſi exteriora hæc inſpiciunt, & ab illorum imagine ducuntur, miſer, mortuus, & nullus planè æſtimatur. Gaudet tamen hac ſua morte Philoſophus, cui nihil eſt antiquius, quàm Tireſiæ inſtar,

Philoſophi mors ſub aquis ſapietię.

9. Eth. c. 8.

Calli-mach⁹ in lavacro Palladis. oculum & visum corporis cum mentis vaticinio commutare, vtque cum Platone loquar, quàm animam à corpore soluere, & hinc fugiendo conari Deo pro viribus quàm maximè similem sese reddere; hinc enim fugere & alienis non inherere, est Deo similem fieri. Hac felici morte moriens Philosophus, Galli solum vna cum moribundo Socrate sollicitè curam gerit, illumque reddendum iubet Æsculapio id est immortalem, & semper vigilem, luçisque amicam suam mentem salutis auctori Deo.

Plotin. Enn. 1. lib. 2. c. 1. Plato in Texteto. Plato-ni Phedone.

Modo *Calci iam liquata*, & sub larga aquarũ effusione iam demortuæ minutissima arena miscenda est. Arena tenuissimus est puluis, ita aridus, vt inde credatur nomen suum deduxisse; erit ergo humilitatis nostræ demissionisque argumentum. Homo enim quamuis diuinitatis secundum mentem particeps, tamen secundum corpus, alteram sui partem, terra, & fimus, ab omni procul superbia, & arrogantia; in suæ tenuitatis agnitione detinendus est; ita sapientior erit, ita sese exhibebit Philosophum non philodoxum.

Arena miscẽda Calci. Arena mortalitatis memoria.

Sapiẽs in se vnit omnia & sic vera Calx. Reliquum est vt primarium *Calcis munus*, ob quod initio diximus, *natura hominem esse calcem*, videlicet inter se extrema vnire, & connectere, ostendamus sapienti hac aqua, vt si dicam, eliquato, & hac arena superinducta cooperto, quàm maximè conuenire. Habet quidem per naturam homo, vt sit omnium, quæ in mundo reperiuntur, vinculum; verum per sapientiam, & per philosophiam ò quanto melius hoc, quantoque sublimius exercet. Vulgatum in Scholis illud Aristotelis, intellectum fieri singula intelligibilia. In fabulis

Arist. 3. de anim. 8. & 38.

fertur

fertur Prometheus homini, quem effinxerat omnium, quæ in mundo sunt semina, & particulas inseruisse, Prometheus inquam, cui non tam curæ fuit hominem facere, quàm illi cum Vulcani igne, artificiosam, vt ait Plato, Mineruæ sapientiam conferre. Herculem Gallicum proposuit antiquitas tanquam eloquentiæ simulacrum, catenulis aureis ad se se multitudinem hominum auribus illis vinculis alligatorum trahentem; liceat ab eloquentia ad sapientiam hoc transferre, sapiens ad se trahit omnia, rationes omnium confluunt ad mentem sapientis. Aristides Orator preclarissima, inquit, omnia & apud Mineruam sunt, & à Minerua proficiscuntur, quia in sapiente omnia, & ab eo omnia. Ad domum Thetidis, quando nupsit Peleo, omnes confluxerunt Dij munera insuper conferentes: ad sapientiam nuptam animo Philosophi omnia concurrunt intelligibilia, tanquam numina, ita ut mens sapientis Deorum id est intelligibilium omnium diuersorium, imò domicilium fiat.

In Protagora Lucianus in Herc. Gall.

Orat. in Mineruã.

Natal. comes lib. 8. Mitholog. c. 2.

Nunc desino mirari, cur Mercurium eloquentiæ & sapientiæ tutelare numen finxerit antiquitas incredibili furandi studio deditum, homo enim sciendi cupiditate, quasi œstro agitatus, & hac diuina prorsus auiditate correptus quid aliud satagit, quàm mente meliora quęque vndique corradere, inque suum penum omnium species, omnium rationes assiduè deriuare? rapto viuit sapiens. Idem Mercurius triceps dictus, quasi celestis, terrenus marinusq. Deus, omnia hæc in se vnitissimè complectens. communis etiam appellatus, quia sapientis mens omnibus sese exponit, &

Gyral. synt. 9.

nihil est, quod in ea sedem, & habitaculum reperire non possit. Virgam quoque habuisse creditus, qua facile omnia etiam inimica conciliaret, Cuius cum quondam vellet Mercurius experimentum facere, eam inter duos angues acerrime inter se dimicantes coniecit, qui repente facti sunt amici, & inde Mercurij virga apparet geminis anguibus circumuolutis insignita. Plurima in se, suisq. naturis accepta contraria sunt; ea vero si in mentem sapientis tranferas desinunt esse inimica, & hostili animo deposito, in tantam conspirant vnionem, vt propterea vna dicatur esse ratio, vna cognitio, vna scientia contrariorum.

Epist.6 Concludam cum Seneca; qui sibi, inquit, amicus est, scito hunc amicum esse omnibus, solus autem probus, & sapiens sibi, si credimus Aristoteli, amicus est; quid ergo mirum, quòd omnibus arcta familiaritate coniungatur? quòd omnia in se ipso amicabiliter componat, quod omnia in se faciat vnum, qui ex Platonis, & Pythagoræ præcepto in hoc præcipuè positus est, vt multitudinem fugiat, & simplicissimam veritatem, in ipsa vnitate consequatur.

9.Eth. c. 4.

Procl. de ani. & Dæmone.



P.CARD.

P. CARD. ARIGONIVS.

IO: BAPT. LAVRO.

ET epistolam tuam ad me disertè scriptam, & Poema elegans de conficienda Calce magna cum animi voluptate perlegi. Officiosam in illa erga me obseruantiam, in hoc mirificam ingenij tui vim, tam aptè maiestatem carminis cum doctrina coniungentis, clarè perspexi, sensiq. auctum iudicium de te meum, qui alia abs te æquali felicitate edita iampridem agnoram. Perge verò in cursu laudabili bonarum Artium, & de mea in te beneuolentia ac studio, quoties opus fuerit, summa tibi omnia pollicere. Vale Romæ Kal. Aprilis 1611.

Ex Balthass. Ansidæi Biblioth. Vatic. Custodis Epistola ad Octauium Card. Aquauiuam Archiepiscopum Neapolitanum.

FEcimus nos ista omnia. Ceterum elegantiū ingeniorum hic est mira paucitas, qui ad Aulam tuam, hoc est, ad Musarum officinam adduci posse videantur. Putarem tamen haud immeritò posse popularem meum Io. Baptistam Laurum, virum castigati iudicij, doctrinæ, ac facundiæ singularis, Ita scilicet igneum ipsius de Calce, nimirum de argumento nunquam ante hac decantato, Poëma proximè editum, tibi indicabit, meoq. suffragio album calculum adijciet. Præposito Generali Fratri tuo longè doctissimo, integerrimoq. ostendi, qui multis extulit laudibus, ac Lauro planè dignum iudicauit. Is....

FINIS.

nunquam tamen opulenta quia semper ex parte obscura, continuè cum lucro iacturam luminis permiscet.

In hac perpetua vicissitudine, rerum mortalium species semper inuertuntur; accedunt illis per generationem singularia, verum per mortem, alia subducuntur: reparat quidem singulorũ productione aliqua sua damna, verum ob aliorum corruptionem noua & quotidiana semper patitur incommoda. Quia ergo agimus de hominis generatione, quam ad istius speciei perpetuitatem dirigit natura & ad compensanda cum aliqua æternitate mortalitatis detrimẽta; ideo Lunam huius ipsius typum, & imaginem referentem obseruandam esse statuunt sapientes viri.

Trinoctium deinde pro coquenda calce custodiendum est: Pro homine generando nonne pariter trinoctium interesse debet? meminerimus oportet antiquæ fabulæ, qua fertur Iuppiter ex Alcmena Herculẽ suscepturus, ad eam nocte accessisse, postea extendisse in tres noctem vnam, & trinoctium effecisse. Noctu operatur Natura, silens, clam, obscurè, imperceptа; Galenus inuenire inquit facultatem, qua sua opera facit natura, humani ingenij captum superat. Inter alia Iouis cognomina, hoc etiam fuit, vt Scotitos, id est, tenebricosus vocaretur. Lupus quia noctu videt, & noctem sibi eligit vt agat, Apollini sacer fuit, & Mineruæ ob id ipsum amica, & comes passim Noctua appingitur. In homine autem gignendo trinoctium necessariò extendendum fuit, paulatim enim, & per tres gradus homo, quousque perficiatur, ascendit. Obseruat Aristoteles primo nos viuere ea vita, qua etiam animatæ sunt

Ficinus Theol. lib. 18. cap. 9. Arist. 2. de Ani. 35. 2. de Gener. 59. Trinoctiũ uigilãdũ. Orpheus in Argonauticis. Appol. l. 2. 15. de vsu par. c. 10. Pausan. in Laconicis. Pierius lib. 11. Ælian. lib. 10. de An. c. 26. 2. De Gen. Anim. c. 3

funt plantæ, & vegetalis nominatur, deinde sentiente, qua etiam bruta animalia, postremo rationali, qua iam sumus homines; en tibi ipsum trinoctium per hos tres gradus propagandum. Primo vegetalis anima generāda sub Vulcan. prima nocte.

Prima nox, qua vegetans siue altrix anima producitur, *Vulcano data*. Meminisse debemus hanc animam esse principium, quo propriè viuimus, vitam autem esse primam calidi participationem, ita vt dixerit Galenus vitam in calore positam, in corde & hepate membris calidissimis pedem suum fixisse tanquam in natali solo. Vulcano itaque caloris Deo, istius primi gradus productio, & regimen tribuendum. In *Fornacibus* ille suam exercebat artem, altrix hæc anima in ventriculo, & in intestinis: à Ioue, vel fortasse à Iunone de Cęlo depulsus ille fuit in Lemnum, vel vt alij volunt, in mare, hanc animæ portionem coquendis cibis destinatam, procul à capite sede mentis, ait Plato, à natura in ventrem inferiorem, ne contemplationibus & Philosophiæ esset impedimento, relegatam, & inuolucris intestinorum quasi vinculis & cōpedibus alligatam; docuit Vulcanus per ignem in varias figuras deducere metalla, hæc virtus calore cibos digerit, & permutat. Quia vero ad hanc eandem partem animæ spectat vis generatiua, ideo Vulcanus Veneris maritus olim dictus, facem in nuptijs ferre, obstetricis munere functus erga Iouem, quando proprio de capite Mineruam edidit, addideruntque veteres à Vulcano primam mulierem, Pandora nomen fuit, Iouis iussu formatam. Vita ergo in calore sita, eodemque marcescente languens, meritò Vulcano hac prima nocte producenda committitur.

2. de Anim. De Iuuentute c. 4. 9 Met. c. 10.

Lucianus de Sacrificijs. Home. Ilia. 1. & hym. in Apollin. In Timæo. 2. de Anim. Euripides in Troadibus. Cęl. li. 7. c. 20.

Sensitiua sub Neptuno. *Altera noctè de uiuente faciendum est animal*, fit idq; per sensum: sensitiua enim, docente Aristotele animal facit, hoc non alterius, quàm *Neptuni opus*. Galeni, cui in hoc cõsentit vniuersa medicorum Schola, doctrinam, & placitum recolendum, sensum esse à cerebro frigido, & humido principio oriundum. Ergo Neptuno Maris, id est, humoris Deo sensus dominiũ concedamus. Tria in hac parte sensitiua Physici potentiarum genera collocarũt, vim cognoscendi, quæ etiam imaginum formatrix dicitur, deinde concupiscendi, tertiam irascendi facultatem; Hæc tria in Neptunum, & in mare illius regnum mirum in modum quadrant.

2. de Ani. 16. 7. de Decret. cap. 8.

Tres potentiæ sensitiuæ, Cognoscens.

Concupiscẽs. Irascẽs

Gyral. d. Syntag. 5. ex Phornuto. Pierius lib. 34.

Neptunus ab Antiquis effector imaginum dictus, fortasse quia in aqua, cuius hic est dominus, spectra & rerum figuræ pro cognitione adiuuanda, veluti in speculo repræsentantur. In mari autem concupiscibilis ciborum appetitus optimè elucet, nam propter hoc mundi venter olim appellatum. Quod autem ad libidinem venereorum spectat, scimus mare salsum spumosum, deque eius spuma Venerem enatam extitisse, quo nihil ad hoc propositum dici posset accommodatius.

Æneid. lib. 12. Comes lib. 2. Mytholog. c. 8

Concitatum autem, & martialem irascibilis potentiæ furorem, vbi melius, quàm in mari, & in Neptuno comperies? qualibet leui aura agitatur mare, & quæcunque leuissima iniuria iracundi animus commouetur; æstuare, & voluere fluctus dicitur mare, pariter iratus; Neptunus ipse creditus furens, crudelis, & omnium Deorum iniustissimus, Hippolytum quippe, causa non cognita, Theseo per subitam iram impellente, immissis in eum Phocis, immanissimè occidit, Neptunus

ptunus equum dedit, ferox & pugnacissimum animal, quod etiam teste Galeno in iracundiæ symbolum affertur. atque hinc factũ, vt violenti, & audacioris animi homines, vt Cyclopes, Lestrygones, & Aloidæ filij Neptuni omnes vocati fuerint, mare etiam in perniciei Hieroglyphicum fuisse acceptum scimus. Ægyptij que Typhonem Osiridis interfectorem dum auersabantur, odium, quo mare prosequebātur, ostendebāt, nam in illud illapsus Nilus (hic illis erat Osiris) diuulsus in plures partes, miserè absorbebatur. Sensus itaque, siue originem respicias, siue tres illius facultates, cognoscendi, concupiscendi, & irascendi, sub Neptuni, huius *Secundæ noctis* custodis auspicijs producendus erat.

3. de Decre. c. 3. Gel. li. 15. ca. 21. Pier. lib. 31. Pluta. de Isi de.

Accedit vltima nox, cui pro addendo huic operi colophone *Apollo* præsidet. Plato Dijs minoribus permittit corporũ brutorum, & facultat m ad ipsa pertinentium procreationem, verum hominis & intelligentis animi, siue mentis originem non nisi summo Deo omnium primo assignandam esse contendit. Eò nos quoq. peruenimus, vbi de mentis illapsu, quę sola hominem facit, agendum, ea exterius aduenit, ideo Apollini in quo prima mens denotatur, illius procreatio & initium acceptum ferendum, Deum ipsum suis muneribus, quibus ab antiquitate fuit olim insignitus, optimè Apollo nobis demonstrat. Ob quatuor inter omnes Deos creditus Apollo excellere, Musicam, Vaticinium, Medicinam, Iaculatoriam. Consideremus hæc omnia prius in Sole, qui fabulosè Apollo dictus est. Medius hic inter Planetas illorum motus, quoad velocitatem & tarditatem, musicis quibusdam proportio-

Anim. intellectius infundenda nocte tertia. In Timęo, a. de Gener. Anim. cap. 3. Ficin. lib. 4. Theol. c. 1. Plato in Cratylo.

nibus contemperat, illustrat omnia, & ideo vaticinij auctor creditur, herbis & mineralibus vires salubres elargitur, idcirco medicus; radijs omnia penetrat,& ferit, ideo iaculator. At in Deum si hæc omnia transtulerimus, Musicum appellabimus, quia totum hoc vniuersum, & singulas illius partes apposite ex mensura, & ordine suæ sapientiæ constituit: Vaticinium illi tribuemus, nam ab illius illustratione omnis est facultas futura praesagiendi: Medicum dicemus, quia opportunè omnibus adest, & prodest: demũ Iaculatorem, vel quia pœnis, vt iaculis, confodit noxios, aut quia è longinquo & eminus, veluti iaculator agit. Hunc ergo Apollinem summum rerum omnium opificem, sui immediatum authorem agnoscit humana mens. *Concurrentibus* itaque per debita temporum interualla *his tribus numinibus, absoluta est calcis fabricatio*, perfectè iam formatus homo dicique potest postremus fabulæ actus additus, sicut vetus adagium euulgauit.

Calci aqua super-infundenda. Homini sapientia.

Verùm artifices ipsos imitando paulo vlterius opus prosequamur. *Inutilem* illi *esse calcem* iudicarunt *nisi super affusa aqua eliquaretur*, & subtilissimæ arenæ demum permisceretur. Nos etiam aquam de purissimo haustam fonte aut flumine *calci nostræ* aspergamus, minutissima etiã arena ne desit. Quid vero aliud aqua, quàm sapientia, quàm doctrina, quàm Philosophia? Mercurio diximus paulò ante, & Saturno inter Planetas aquam tributam fuisse, eos verò scimus esse summos sapientiæ præsides. Apollinis Clarij Sacerdos non nisi aquæ haustu vaticinabatur. Ad propiora accedamus. *Aqua* rerum species, tanquam diaphana repræsentat, eadem à sordibus tanquam hu-

Pier.li. 38.

Cœl.li. 27.c.5.

humida lauat, & purgat. duo potissimè sapientiæ munera, alterum in rerum contemplatione, alterum in actione consistens. Ferunt Poëtæ cęlestia corpora vesci aqueis vaporibus, terram autem aquis fœcundari, Philosophia pariter Cęlum, idest, mētem veritatis cognitione, tanquam cibo alit, sensitiuum autem affectum ita moralibus præceptionibus enutrit, vt facilè ex ipso pulcherrima virtutum germina surgant, & dilatentur. Aquam dicebat Pindarus, omnium natura preciosissimam, vilissimo tamen pretio æstimari, hoc ipsum in sapientiam quadrat appositissimè. de Puteo & aqua Æsculapij dixit quondam Aristides Orator, & Sophista, æquè eam tam sanis, quàm ægrotis prodesse; nemo etiā est, siue vitijs languens, siue mentis sanitate viuidus, cui non sit aqua sapientiæ salutaris; in puteo quidem est veluti olim illa Æsculapij, quia difficultatibus obsita, & in recondito recessu detenta, verum si haurias, si gustes, suauissima, & cuicunque siue cibo siue medicina egeat, maximè opportuna. Poëta Hetruscus vatum antiquiorum vestigia sectatus, sapientiæ profectum significaturus, duo nobis flumina proposuit; Alteri Lethes nomen est, cuius aquę mala præterita, cum omni vitiorum, & prauarum perturbationum mole, obliuioni tradunt. Alter cui nomen Eunoë, bonam mentem, & vitiorum prauis affectibus iam spoliatam, attollit suis aquis ad diuina, vt tandem illam consequatur, quæ Musæo virtutis est præmium, æternam ebrietatem. Hac aqua veræ Philosophiæ perfundi debet animus non minus, quàm elementari soleat Calx aspergi.

Plato refert in Euthydemo.

In or. de puteo Æsculapij.

Dātes Purgacant. 31. 33.

Plato 2. de Rep.

Tria sub aquis patitur *Calx*, primò feruet, calidos deinde halitus attollit, vt tota planè videatur in Cęlum vsque rapi: postremo in hoc ipso feruore deficit, & liquescit, vt paulò attentius inspicienti sub aquis mori, & in aliam mutata formam videatur.

Ardet Philosophus amore sapientiæ 5. de Re-pub.

O raram, & incredibilem sapientiæ virtutem, ea si vel leuiter animum irrorauerit, accendit amore sui, ita vt faciat, Platonis verba, ad quamlibet doctrinam degustandam propensiorem, ad discendum promptissimum, inexplebiliter inhiantem, verissimè, vt summatim dicam Philosophum, sapientiæ cupidum, veritatis cognoscendæ amatorem.

lib.36. c.23.

Mirum inquit Plinius de Calce loquens, aliquid postquam arserit accendi aquis, at hoc mirum accidit in hac aqua, quam æthercam vocat Philo,

De Profugis.

quamque Deus supernè instillat, inquit, generosis, & spectandi cupidis mētibus.

Enn.P. lib. 6. c. 4.

Ad pulchritudinem, ait Plotinus, non omnes æquè incitantur, sed omnium maximè amatores, horum ad pulchri conspectum excitatur amor, admiratio, & omnium iucundissima concitatio, talis amator est vir philosophus.

Attollit desideria Pylosophus, vt fumos.

Dum verò sic ardet, & feruet sub aqua sapientiæ studio veritatis Philosophus, mirum quantos hinc ad superiora desideriorum fumos, & halitus extollat, quàm auidè ad diuinorum cognitionem suspiret. Plotinus genus, inquit, est hominum diuinum, in quo sunt, qui supernam lucem acutè suspiciunt, & eamque se prorsus attollunt, ad hanc re-

Enn.5. lib.9.c. 1. & 2.

gionem ascendit quicunque ad amandā trahitur pulchritudinem, & natus est re uera philosophus, hic pulchritudine corporis non contentus, consurgit ad

animi

animi pulchritudinem, inde ad causam eorum, quæ in anima sunt, quosque tandem ad primum se ipso pulchrum peruenerit. Ita *nostra Calx* eleuat sub his aquis cęlestium suarum cupiditatum fumos, vt sic dixerim, & vapores.

Tandem verò ibidem optatissima quadam morte deficit. Luna quando Soli sese totam subijcit, lumen, quod ab eo recipit in superiori sui parte ita vniuersum colligit, vt inferior facies, quæ terram respicit, omni viduetur splendore, nec rarò contingat vt suspicienti, neque in Cælo videnti vllam prorsus Lunam, toto è numero stellarum excidisse credatur; nihilominus beatiore quàm vnquam alias, tunc temporis fruitur vita suo supposita Soli, illique arctissimè coniuncta; in altiori sui parte abundantissima luminis effusione splendidissima. Non posset aptiore imagine Philosophus demonstrari. duæ in illo facies; superior, quæ mens, inferior quæ corpus, & sensus: priorem illam omni studio conatur colere, & illustrare, hac rapitur ad diuina, hac à diuinis illuminatur, propterea verus amator sui, inquit Aristoteles, quia præstantissimæ sui parti maximè obsequitur, eique in omnibus honestis, & bonis accuratissimè obtemperat. quia verò alteram sui partem despicit, quæque ad corpus spectant, neque ornatu, neque cultu vllo decorat, nihil sibi in pecunijs, honoribus, voluptatibus vendicans, ideo vulgarium aspectui, qui non nisi exteriora hæc inspiciunt, & ab illorum imagine ducuntur, miser, mortuus, & nullus planè æstimatur. Gaudet tamen hac sua morte Philosophus, cui nihil est antiquius, quàm Tiresiæ instar,

Philosophi mors sub aspecie pietis.

9. Eth. c. 8.

Callimach⁹ in lacro Palladis. — oculum & visum corporis cum mentis vaticinio commutare, vtque cum Platone loquar, quàm animam à corpore soluere, & hinc fugiendo conari Deo pro viribus quàm maximè similem sese reddere; hinc enim fugere & alienis non inherere, est Deo similem fieri. Hac felici morte moriens Philosophus, Galli

Plotin. Enn. 1. lib. 2. c. 1. Plato in Teæteto. — solum vna cum moribundo Socrate sollicitè curam gerit, illumque reddendum iubet Æsculapio id est immortalem, & semper vigilem, lucisque amicam suam mentem salutis auctori Deo.

Plato ni Phedone. Arena miscẽda Calci. Arena mortalitatis memoria. — Modo *Calci iam liquata*, & sub larga aquarũ effusione iam demortuæ minutissima arena miscenda est. Arena tenuissimus est pulueris, ita aridus, vt inde credatur nomen suum deduxisse; erit ergo humilitatis nostræ demissionisque argumentum. Homo enim quamuis diuinitatis secundum mentem particeps, tamen secundum corpus, alteram sui partem, terra, & fimus, ab omni procul superbia, & arrogantia; in suæ tenuitatis agnitione detinendus est, ita sapientior erit, ita sese exhibebit Philosophum non philodoxum.

Sapiẽs in se vnit omnia & (sic vera Calx. — Reliquum est vt primarium *Calcis munus*, ob quod initio diximus, *natura hominem esse calcem*, videlicet inter se extrema vnire, & connectere, ostendamus sapienti hac aqua, vt sic dicam, eliquato, & hac arena superinducta cooperto, quàm maximè conuenire. Habet quidem per naturam homo, vt sit omnium, quæ in mundo reperiuntur, vinculum; verum per sapientiam, & per philosophiam ò quanto melius hoc, quantoque sublimius exercet. Vulgatum in

Arist. 3. de anim. 8. & 38. — in Scholis illud Aristotelis, intellectum fieri singula intelligibilia. In fabulis

fertur

fertur Prometheus homini, quem effinxerat omnium, quæ in mundo sunt semina, & particulas inseruisse, Prometheus inquam, cui non tam curæ fuit hominem facere, quàm illi cum Vulcani igne, artificiosam, vt ait Plato, Mineruæ sapientiam conferre. Herculem Gallicum proposuit antiquitas tanquam eloquentiæ simulacrum, catenulis aureis ad se se multitudinem hominum auribus illis vinculis alligatorum trahentem; liceat ab eloquentia ad sapientiam hoc transferre, sapiens ad se trahit omnia, ra iones omnium confluunt ad mentem sapientis. Aristides Orator præclarissima, inquit, omnia & apud Mineruam sunt, & à Minerua proficiscuntur, quia in sapiente omnia, & ab eo omnia. Ad domum Thetidis, quando nupsit Peleo, omnes confluxerunt Dij munera insuper conferentes: ad sapientiam nuptam animo Philosophi omnia concurrunt intelligibilia, tanquam numina, ita ut mens sapientis Deorum id est intelligibilium omnium diuersorium, imò domicilium fiat.

In Protagora Lucianus in Herc. Gall.

Orat. in Minerua.

Natal. comes lib. 8. Mithol. c. 2.

Nunc desino mirari, cur Mercurium eloquentiæ & sapientiæ tutelare numen finxerit antiquitas incredibili furandi studio deditum, homo enim sciendi cupiditate, quasi œstro agitatus, & hac diuina prorsus auiditate correptus quid aliud satagit, quàm mente meliora queque vndique corradere, inque suum penum omnium species, omnium rationes assiduè deriuare? rapto viuit sapiens. Idem Mercurius triceps dictus, quasi celestis, terrenus marinusq. Deus, omnia hæc in se vnitissimè complectens. L. communis etiam appellatus, quia sapientis mens omnibus sese exponit, &

Gyral. synt. 9.

nihil est, quod in ea sedem, & habitaculum reperire non possit. Virgam quoque habuisse creditus, qua facile omnia etiam inimica conciliaret. Cuius cum quondam vellet Mercurius experimentum facere, eam inter duos angues acerrime inter se dimicantes coniecit, qui repente facti sunt amici, & inde Mercurij virga apparet geminis anguibus circumuolutis insignita. Plurima in se, suisq. naturis accepta contraria sunt; ea vero si in mentem sapientis transferas desinunt esse inimica, & hostili animo deposito, in tantam conspirant vnionem vt propterea vna dicatur esse ratio, vna cognitio, vna scientia contrariorum.

Epist.6 Concludam cum Seneca; qui sibi, inquit, amicus est, scito hunc amicum esse omnibus, solus autem probus, & sa- 9.Eth. c. 4. piens sibi, si credimus Aristoteli, amicus est; quid ergo mirum, quòd omnibus arcta familiaritate coniungatur? quòd omnia in se ipso amicabiliter componat, quod omnia in se faciat Procl. de ani. & Dæmone. vnum, qui ex Platonis, & Pythagoræ præcepto in hoc præcipuè positus est, vt multitudinem fugiat, & simplicissimam veritatem, in ipsa vnitate consequatur.



P.CARD.

P. CARD. ARIGONIVS.

IO: BAPT. LAVRO.

ET epistolam tuam ad me disertè scriptam, & Poema elegans de conficienda Calce magna cum animi voluptate perlegi. Officiosam in illa erga me obseruantiam, in hoc mirificam ingenij tui vim, tam aptè maiestatem carminis cum doctrina coniungentis, clarè perspexi, sensiq. auctum iudicium de te meum, qui alia abs te æquali felicitate edita iampridem agnoram. Perge verò in cursu laudabili bonarum Artium, & de mea in te beneuolentia ac studio, quoties opus fuerit, summa tibi omnia pollicere. Vale Romæ Kal. Aprilis 1611.

Ex Balthass. Ansidæi Biblioth. Vatic. Custodis Epistola ad Octauium Card. Aquauiuam Archiepiscopum Neapolitanum.

FEcimus nos ista omnia. Ceterum elegantiū ingeniorum hic est mira paucitas, qui ad Aulam tuam, hoc est, ad Musarum officinam adduci posse videantur. Putarem tamen haud immeritò posse popularem meum Io. Baptistam Laurum, virum castigati iudicij, doctrinæ, ac facundiæ singularis, Ita scilicet igneum ipsius de Calce, nimirum de argumento nunquam ante hac decantato, Poëma proximè editum, tibi indicabit, meoq. suffragio album calculum adijciet. Præposito Generali Fratri tuo longè doctissimo, integerrimoq ostendi, qui multis extulit laudibus, ac Lauro planè dignum iudicauit. Is . . . .

FINIS.

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI
DE VICTORIA
D. LEONIS MAGNI Pont. Max. eius nominis Primi.
ADVERSVS ATHILAM LIBRI III.

ADAMI FVMANI sub effigie Athilae Hunni.

FAx orbis ille, incendium, pallor, pauor,
Europa monſtrũ quem nouũ genuit parens,
Matris ferus quod carnifex foret ſuæ.
Qui barbaro ſuperbus ipſe ſpiritu
Dei flagellum, nomen indidit ſibi,
Terris furens ſatelles irati Iouis,
Per quem fuere ſecla facta ferrea,
Cum quaque mores vſque fudit barbaros,
Quo ſe ore viuens ferre ſueſſet Attila,
Tabella Iouij hæc indicat planiſſimè.

IO: BAPT. LAVRVS
HORATIO LOMBARDELLIO S.D.





E Atbila Hunnorum Rege, à Leone Pontifice fuso fugatoq; tribus Libellis, vti vides, historiam sum complexus, & poëtico Schemate exornaui: qui, tametsi Comituli Episcopi hortatu apud nonnullos vulgari cœpere; Romam tamen ad P. Card. Datarium, quo introductore ad Summum Pōtificem vti statui, haud dum sunt perlati. idcirco ad te se conferunt, non minus vt inspicias, quàm, ne non probatiores in vulgus prodeant, vt emendes. Caue, vlla tibi incidat suspicio, tangi me ambitiuncula, vt, quod Aegyptyadi vltrò indulsisti, huic quoque lucubrationi Elogium conficias, & peruenire ad posteros tua iubeas approbatione clariorem. Potest id quidem tua singularis eruditio atque humanitas, si res mereatur ipsa; quæ profectò intra mensem concepta, scripta, edita; vereor, vt sit tanti. Ac meritò, Lombardelli, contulisti in insigniores nostræ ætatis scriptiones, qui me σχεδιάζοντα fortasse rides. Sed non adeò mihi frons effrons, vt cum litteratis Heroibus in theatrum prodeam, & aliquem occupem scenæ angulum, nisi si tanquam gregarius, ex itinere occur-


occurrens, ad breue colloquium admittar. Erit perbonorificum, si album vtcunque calculum appoſueris: nec planè dormitantibus, atque auerſis Muſis videbor ceciniſſe, quod Muſarum antiſtites, tui ſimiles, Vtroque, vt Flaccus inquit, laudarint pollice. Vale. Peruſiæ Kal. Quinctilibus 1605.



FVLVII CORRADI

ARGVMENTVM.

IN Latium Hungaricas queritur capere arma cohortes,
Magnus in Vrbe Leo. qui numina voce precatus,
Hoſtilem auertat ab ſeptem collibus enſem,
Ætherias properè rapitur ſublimis ad arces.
Hic Romæ omnigenas clades, & funera deflet.
Lucida biga vehit Petrum, Paulumq. per auras.
Pannonicas numerant claſſes, frænantq. furẽtes,
Dum Cælum repetant, cæleſtiaq. agmina cogant.



IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI DE VICTORIA S. LEONIS MAGNI ADVERSVS ATHILAM.

AD PAVLVM V. P.O.M.

LIBER PRIMVS.



AVSONIDVM columen, seruatoremq; Latini
Nominis, Hungarici calcantem signa Tyranni,
Mens Superis innixa canit. Dictate canenti
Cælicolæ, qua quisq; manu pugnauerit, olli
Vester honos, vestris exercitus excitus oris
Militat; huic torui rabies prætenditur Hunni.
Vos Phaëtontæi me ad littora sistite fluctus,
Et spectare iuuet; quà linguæ flammea vibrans
Spicula, Romanus miti stetit ore Sacerdos,
Et grandem aduexit valido de Rege Triumphũ.
PAVLE adsis: si te superæ sacer ordo Pronææ
Euehit ad Primi fatalia sceptra LEONIS,
Imperijq. apicem; vestram si carmine puppim
Assero ab incursu Getici maris; adspice porrò
Remige me, quantũ pergat; dumq; omnia cursim
Expedio, ab tuta fige in me lumina prora.
Eridani in gremium placido quà labitur amne
Mincius, agnato referens sua cornua ponto;
Sacratis Marti exsuuijs, positoq; parumper
Puluere bellorum; truculenta ab cæde reuersus
Ita-

Italidum, fessa cum classe recesserat Hunnus
Athila, & excussis aciem requiescere ab armis
Iusserat. Interea socias parat addere vires;
Mox Martem grauiore manu, maioribus ausis
Aggredi, & impostas Latio perrumpere portas:
Sanguine,Thybri,tuũ cõspergere littus,& vndas
Mole graui premere armorum, bustisq. cadentũ;
Atq.agere exanimem sub sordida vincula Romã.
Fama vigil, Scythici mentem cõplexa Tyrãni,
Remigio alarum muros ingressa Quirini;
Quæ clades Vrbi immineãt, quãto igne calescãt
Hungaridum mentes Latialem absumere gentẽ,
Nunciat extemplò. Vt verò penetrauit ad aures
Antistes Romane,tuas: quãquam omine Magno
Eminet in dubijs tibi mens, quam,nescia vinci,
Firmat magnanimi clementior ira Leonis,
Hæc tecum, iustis irarum fluctibus ardens.
Et pereas sic, Roma, licet, sæuaq. Getarum
Compede constrictam, fas est te Marte cruento
Concidere,& medijs dirà ingemuisse sub armis.
Mitto autem clades,incendia fœda calenti
Passa æuo;melior fureret cum flamma per artus:
An non es Gothicos toties experta furores,
Pronior in senium?quid adhuc in puluere seruas
Barbaricas strages, Alarici immane furentis
Exemplum? nunc Pannonici ne ferre recusa
Vincla Ducis, falsoq. animam solata sereno,
Excipe supremos moritura in viscera luctus.
An verò tantum te commeruisse ruinæ;
Tot digna vrgeri iaculis? scelera impia,toti
Nota Orbi,plenis abs te manantia venis;
Vltorem meruere Deum, mota insuper arma,
Cælicolum turbata fides, pulsusque frequenter
Relligionis amor; stolidoq. ardore Gigantum
In summum tela acta Patrem;tot crimina,lapsus
Stringentem gladios, teq. ad grauiora vocantem
Supplicia, iratum contra exciuere Tonantem
Sic altè terræ crassus qui tollitur humor,
Et caliganti prætexit inania fumo,
Visus Solarem nebula confundere vultum,
Solis inardescit radijs; tum versus in imbrem,
Tecta

Tecta quatit, pessumdat agros, pontũq. per oēm
Aut agit in scopulos, aut funditus obruit Alnos.
Ne tamē in fidei puppim malus ingruat imber
Quæso Pater; neu sint aliorum crimina tanti.
Meq. gubernacli moderantem fræna, procella
Implicet, & fracta iaceat cum classe magister.
Sat mihi, sat Mundo notum tibi robora quanta,
Et quàm non meritis par sit vindicta, sed vsq.
Inflicto longè maior clementia damno.
Respice res Orbis, nostros miserare labores,
Infestumq. Ducem, rabida cum stirpe Getarum
Venturum excidio Fidei, pelle, oro, repelle,
Nudatumq. Vrbi remoue à ceruicibus ensem.
Quod si non prona mea vota intelligis aure,
Rerum Christe sator; saltem ne spreueris illa
Tu Paule, & tu Barionida, quibus ordine ab omni
Delectis, sacram pinum commisit habendam,
Cui pręsum: tibi, Petre Simō, qui triste furentes
Longè ageres nimbos, & tuto flamine, lentè
Transtra mouens, medij firmares pondera mali;
Tu vindex, gladio metuendus, turbine ab atro
Flammarum eriperes, sæuis prædonibus atrox
Supplicium intentans, cædemq. rebellibus: oro
Afflictæ date vela rati, dispellite nubes,
Gaudeat immisso fœlix Proreta sereno.
Talia fundebat lacrymans. Ecce vnus & alter
Ecclesiarcharum, rapida delabitur æthra,
Romaniq. petit secreta cubilia Patris.
Continuò orantem superi candoris ab ictu
Impulit. olli autem lenis per pectora fusus
It sopor, & iunctus geminis Heroibus, arces
Spiritus Empyreas, Astris mirantibus, intrat.
Tum Petrus. O nostri successor maxime Regni
Cui damus æterni fontes accedere fati,
Et rerum spectare fidem: dimitte querelas,
Et lacrymis impone modum. rata scilicet alto
Ista Polo; clades patiatur Roma nefandas,
Et cognata ratis vento pulsetur & imbri.
Quamquam venturis dabitur cōsistere in annis,
Et Pax Oceani littus percurret vtrunque;
Burghesi cum tecta Aquila, mitiq. Dracone.
Inclyta

Inclyta pacifero radiabit Roma metallo.
Hæc Pater. Ante Dei vultum mox ducit: at illū
Gratus fatidicæ caliginis horror obibat;
Obijciens oculis translapsi temporis horas,
Præsentisque fidem, venturaque fata nepotum:
Præterit ætates multas, quibus enthea Cæli
Lux non irrubuit, manans à principe Christo:
Pauca sed è multis, Petro monstrante, rotatu
Luminis adnumerat; quas hauserit ante ruinas,
Quotque secuturos deploret Roma tumultus.
Hic Tyberim toties ventis pluuialibus auctum,
Vndantemque sinu, seq. extra claustra vomentē,
Intrantem plenis in Martia culmina ripis;
Cuncta inuoluentem luctu, tecta alta ruentem,
Rumpētemq. domos, vixq. in sua regna receptū.
Hic toties furijs raptam flammantibus Vrbē,
Et propè septenis impostam collibus Ætnam,
Encelado quassante humeros, ac fæce Neronum
Luctificas stimulante faces, mortemq. minante,
Perlegit. adde luem, corrupto ab limite Cæli
Non semel Ausonijs glomerantem funera cāpis.
Vis operit funesta polum, tractusque natantes
Aëris inuadit tabes; procumbit in aruis
Culmus iners frugum; pigroq. ab vomere glęba
Frangitur, & fessos opera inter pallida Tauros
Marcida sorbet humus, grassantēq. orbe Latino
Contagem, grauidis iam faucibus expuit Orcus.
Non oculos Simon inuento remoratur amaro,
Exigui turbator agri, quem, Petre, colebas.
Ille Gigantæo dum numina despicit ausu,
Seq. amens probat esse Deum, seq. arduus alis
Dædaleo ritu, Capitoli à vertice in auras
Subleuat; infractis paullatim viribus, altè
Decidit, & magicas ora execrantia fraudes
Illisere solo; sed nec remorantur iniquæ
Cæsaridum clades, queis pænè à stirpe recisum
Romulidū imperiū. Sensu dolor hæret in imo,
Dum toties calcata Getis sua regna tuetur;
Nunc flammis, Alarice, tuis populata, supremos
Excludunt gemitus, indignanturq. moueri,
Sueta alios pressisse iugo. spargenda cruore
Te metuunt, Astulphe, nouo; ni candida coniux

Galla obstet, reprimatq. animos miserata furētes.
Se tamen instantis solatur imagine belli,
Pannonicosq. ignes alio videt igne fugandos.
Scilicet elabi in nihilum noua prælia, miris
Profligata modis; pulchris exercitus armis
Instruitur, geminoq. calens sub Principe pugnat,
Athilaq. algentem detruditur exsul ad Axem.
Sed non Vandalicis se non agnoscit in armis;
Supplicis in morem, frustra pia verba mouentē:
Sacris abstineat saltem, neu numina ferro
Polluat; at fletus Rex Genserricus inanes
Ridet, & immissis legionibus omnia vastat,
Pulsatamq. Alnum, Duce vix dū sospite, linquit.
Adijce; si Latias seruat Belisarius arces,
Dimittitq. viros, qui sacro fœdere, certis
Præsidijs, Thuscos latè tutentur, & Vmbros;
Narnia te primum, te mox Spoletia tellus,
Quasq. premit turres Augusta Perusia firmant:
Barbarus hostis adest; & cum, nec Vitige quisquā
Promptius arma gerat, nec quisquā Vitige ab ira
Sæuius intumeat; sub tanti Principis hasta
Nutat, & ingentem queritur pia Roma ruinam:
Quamuis ferali repleat clastra vndiq. luctu
Italidum, cumuletq. licet singultibus auras:
Insurgit Totilas, crebris qui assultibus omnē
Dissipat Oenotriam; muros bis terq. cruentus
Intrat Romuleos: ac dum percurrit Etruscum,
Vmbriacumq. latus (post longa incendia Martis,
Conatusq. diu elusos) tandem Vrbe potitus,
Ghryphonidum, admirans Perusini robora Cœli,
Inuictamq. aciem; sat habet si ab iure Latino
Illa cadat, dedatq. manus; proq. omnibus vnus
Sollicitus populi Pastor, Præsesq. verendus,
Supplicium expendat, solido ab munimine mētis
HERCVLEVM cognomē habēs. Sed (pace nocē-
Stat sua cuiq. dies: Nucerino in littore Narses (tū
Te, Totila, obtruncat; belliq. in turbine feruēs,
Idem maiorum vestigia cæca secutus,
Septenos vastat confuso Thybride montes.
Inde alias, cladesq. alias non lumine sicco
Deuorat: vna diu tenuit, certè vltima, Patrem
Admi-

Admirabundum. Dominandi insana libido
Cæsaridum inuadit pectus, Gallosq. repellit
Ab lare, & Ausoniū petit vsq. in vincula Thybri.
Septimus afflicto Clemens supponitur Orbi;
Cui niueum Pacis pignus, fœdusq. petenti,
Cantaber immani fit longè infensior hoste.
Ecce autem Insubrum decedens finibus vltrò
Fœdera disrumpit, sacram Borbonius Vrbem
Obsidione premens;& circumquaq. reuulso
Aggere; dum scalis in mœnia nititur altis,
(Stat quoq. pro Roma Superum non segnior ira,
Spōtè tonās, meritasq. adhibēs in tēpore pœnas)
Tormento petitur; glans viuo sulphure adacta
Diuiduum thoraca secat, plumbiq. receptus
Ignis, in internos miseri perlabitur artus:
Ambustamq. facem, cineremq. in pectore nutrit.
Tum latè expulsum Romano ab limite Martē,
Plenoq. effusam Pacem florere Theatro,
Prospicit: Eridanum iuxta, Ferraria tantum
Turbat, sed Latij bibit hęc Pastoris amorem,
Ære per Europæ populos qui fœdera longum
Imperat. interea Tusci metuenda Leonis
Maiestas, vix ætherias educta sub auras,
Abripitur: Quinto quāquam Roma inclyta Paulo
Se iactat, gemitusq. omnes hoc Principe mulcet.
Quoq. vno sperat Thracas in vincla coactos,
Et Maumethæis vexilla erepta maniplis,
Ad sanctos ruitura pedes; gentemq. rebellem
Quò Pax alma liget, fideiq. in fœdere perstet.
Hæc tantum celeri obtutu Leo colligit, ægro
Omina læta fouens sub pectore. Numina verò
Bina pium rapuere Patrem, lapsuq. silenti
Per fora Cælicolum, per ouantis mœnia Cæli
Ausonidum in fines, Tarpeia in tecta reportant.
At cum corporeo iam spiritus esset in antro,
Nube leni pressus somnis sibi talia visus
Excipere. Ab roseo cum Sol candentior ortu
Fulserit, & nullo violabitur imbre serenum:
Tende volans; qua digressus Benacide ripa
Mincius, irriguo per littora voluitur amne,
Ingenti vicina Pado, non arma parentur,
Ad

Ad propulsandum Romani nominis hostem ;
Sed rigidis longè Arsacidum potiora sagittis ,
Eloquij noua tela para ; pulsoq. timore ,
Hunnæumq. abigens Borealia ad arua Tyrannū,
Certa tibi partæ steterit victoria palmæ .
His haud plura Senes:quos cādida biga per au
Dū vehit,& Scythici fert ad tentoria Regis , (ras
Detinet adspectus Solymææ gentis , & vnda
Gnosiacis reuomens exposta cadauera ripis .
Namq. per id tempus nigri frænator Auerni
Venerat Abramidum placidos turbare nepotes ;
Progeniemq. rudem miris inuoluere rerum
Casibus.hunc autem species sacra Moseos ornat,
Et blæsæ voces, impressaq. cornua fronti.
Qui dux mentitus populi ; dum prisca retractat
Promissi frumenta soli, cęlestis & Hortum
Delitij, ambrosia manentem & nectare dulci ;
Ac se ducturum veterator spondet : in ima
Gurgitis Aegæi sicco pede constitit viua ,
Cum grege Iudæo.quemq. humida regna secātē,
Suspensosq. inter fluctus planta alite euntem,
Lympha, sinu coëunte, vorat: muroq. soluto
Aequoris,vndantis queritur per castra profundi,
Indocilem pelagi esse fidem,seseq. barathro
Deuouet : ijs tantum clementior vnda pepercit ,
Queis Christi confessus amor. Par ducitur esse
Niligenum strages, Rubri inclementia ponti .
Cum; ne diuitijs spoliatam forte Canopum
Desereret Galilæa phalanx, sectatus aperto
Est prædatricem pelago Memphiticus hostis :
Quem tū,haud quaquā progressum lōgius, agger
Dirutus vndarum,spumanti absorpsit hiatu :
Et datus est monstris preciosior esca marinis.
Ergo vbi barbaricis fixerunt lumina castris
Siderei Patres; spectant sine lege vagantes
Hunnorum turmas, & formidata Getarum
Agmina.Stat rapidis Nomadū gēs apta pharetris
In teneras cui primus amor sæuire bidentes .
Essedones tormenta nouant , sueti ora nefandis
Funestare cibis, quippe indefleta parentum
Funera psallenti cum produxere corona ;
In

In cœtum adſcitis ex omni parte propinquis:
Dilacerant crudo diſſecta cadauera dente:
Artubus & miſtis pecudum (nil dulcius vſquam)
Aedificant epulas, Phario vel ab orbe petitas:
Oſſa tamen capitum, meliore incincta metallo,
Auratos in crateras conflare laborant.
At ſaxo læuat gladios Scytha, cædibus inſtans,
Sãguineas modò potet aquas, quibus ipſe natarit
Hoſtis, ab obſcœna populi feritate peremptus.
Tila acuunt Tauri, quos efferus ardor iniquos
In ius faſq. agit: Hoſpitio quoſcunque probarũt;
Incautos ferro ſuperant, proq; Arietis extis,
Sãguine pro pecudum; cultro per viſcera adacto,
Luce ſacra, ſæuis mactant crudeliter aris.
Stant & bellaces Neuri, quos ſordida virtus
Venantum iungit ſtudijs, & amicta doloſis
Vultibus, æſtiuo tellus dum ſidere feruet;
Transformat ſe ſe in facies, atq. ora Luporum;
Et nemora incurſu vaſtat, molitur & arma
Vulpibus, in vultuſq; redit mox verſa priores.
Inſequitur, madidis quem proluit Iſter arenis,
Bulgarus; horrentes quo non accendere pugnas
Promptior, aut quiſquã flagranti in turbine belli
Miſſilium triſti nebula felicius hoſtes
Inuoluiſſe queat, pugnaq. tumeſcat equeſtri;
Gens ea cõtemptrix Superum, Phlegræaq. rursũ
Bella velit, Cęloq. Deos pepuliſſe ſereno:
Te tantum (Mars) excepto, cui dira nefaſtis
Ponunt templa locis; pugnæq. erepta procellis,
Fracta virũ ſpolia, & galeas ab ſanguine turpes.
Enſe dicant ſtricto; qui thure ſuperbus honoro,
Sacrandas alijs, vnus ſibi vindicat aras.
Adde Melanchlænos, imitantes tegmine nigro
Cimmeriæ furua antra domus, et crine comãtes
Cæruleo, vultumq. trucem pictos Agathyrſos.
Adde & ab Herculea manantes prole Gelonos,
Lac perpotantes, & equinum in lacte cruorem.
Arma tonant Garuſq. pedes, forteſq. Georgi,
Inſanumq; cient, Roma, in tua funera Martem:
Quem longè ex voto venientem (ò pectora cęca,
O curuæ in terris animæ! tantiſne tenebris
Tranſ-

Transfuersos vos error agit!) vexilla mouentem,
Hortantem pugnas, vltrò pleno ore salutant.
Hocce autē licuisse tibi Pluto, improbe Pluto;
Vt vel ab antiqua surgentis origine mundi,
Curaris tua sceptra coli, tibi templa dicari,
Et falsa populos sub relligione tenere?
En modò vesani velatus imagine Martis;
Classica bellorum promens, incedis anhelis
Conspiciēdus Equis, famulo comitatus Auerno;
Dasq. animū viresq. adeant iam regna Quirini,
Rostraq. barbaricis violent Romana trophæis,
Et Christi euertant vigili cum Principe puppim.
Hunc non Barionidæ, non Paulli tela tuentem,
Latè pugnacis spatiantem in puluere campi,
Non animaduersum latitanti ab numine fulgur
Percutit: vtq. actum sensit diuinitus ictum;
Protinus infernam redijt fremebundus in aulam
Fumeus, Hungaricum valido molimine Regem
Impellens, stupidasq. ligans horrore phalanges:
Tunc aliquis Regem iuxta, cui dextera bello
Fortis, at in dubiis potior sententia rebus;
Quin, ait, expendis, dudum quæ cępta fatigas
Consilia, & Latios propius non concipis agros,
Propositumq. vrges? quæ nos, quæ pigra retardat
Sedulitas? cur non properè caua buccina somnos
Excutit. & strictis mucronibus, agmine facto
Ausonium gerimus victricia signa per orbem?
An non segnitiem Mars indignetur, equisq;
Retro actis, Geticas redeat festinus ad oras?
Vidimus expositum feliciter ire per agmen,
Vidimus ardentem cædes, solitoq. calentem
Sanguine; respuimus, qui sic excepimus: ast ô
Gradiue, ô numen bellis placidū, adspice porrò,
Adspice socordes; sed iam tua signa secuti,
Induimus clypeos, tentoria rumpimus, altos
Scandimus, imbellemq. animo presumimus Vrbē.
Tu peragi ista, iube; nūquam melioribus, ô Rex,
"tere auspicijs, aptat Victoria pennas,
Christiadum spondens trepida de plebe triūphū.
Currit ab his ingēs Hūnça per agmina rumor,
Permistus clangore tubæ, furialibus ardent
Castra

Castra odijs, ferri rabies crudescit vbiq.
Et vastum galeis potare Anienen anhelant.
Sic, vbi raptorem fęcundo ab rure fugandum
Rusticus inclamat, pubes coniurat agrestum,
Vi prohibere parans. pars hæc hastilia flammis
Durata, hæc rastros dextra capit, illa ligones,
Contosq. & duri metuendum robur Aratri.
Vt magni patuere ausus, ruituraq. iam iam
Signa, Quirinali fatum latura cohorti,
Eridani fremuere vadis; mens vtraq. longè
Heroum indoluit: medio sed ab æthere Petrus
Labitur, & trucibus formidandū Athilan armis,
Obtectus nebula adcedit, nutuq. potenti
Grādius accersit, cui Rex datus Athila, Germen.
Nā duplex Genius, Ducibus toto orbe regēdis
Præficitur, qui sub primoribus inditur annis,
Et cum dignantur sceptris, legesque ministrant
In populos: seu barbaricis nascantur in oris
Trās Tanaim, trās Sauromatas; seu sāctior orbis
Educet, & fidei pastu melioris alantur.
Verax ætherij clementia Principis! vno
Velle sub amplexu terrena, æterna ligare;
Solisq; irriguos ignes differre per omnes
Terrasq. tractusq. maris, Cęlumq. profundum;
Qua lux vera natat; qua caligantibus horret
Mens armata odijs, seq. atro in corpore miscet.
Ergo Ducis Scythici Geniū cōuenerat heros,
Alloquioq. vsus quo summi ante ora Parentis
Discretis latè ordinibus mysteria pandunt
Inter se Superi, committit talia. Cernis
Fide vigil, quanto Romana in mœnia cursu
Tendat, & in memet quàm multa clade feratur
Athila: vinclo inhibe, quātū fas, cōprime motus
Barbaricos, stolidi ante oculos, te afflāte ministro
(Dū saltē Ausonia veniat Leo magnus ab vrbe)
Trux Alaricus eat: Romæ quàm toruus in armis
Fulserit (exigui medio mora temporis) idem
Funere quàm subito Rhægini in littoris ora
Vitam exhalarit. dictis Senioris obedit
Aliger; ac stygijs dum forte Alaricon ab antris
Euocat, & visu rem sæuius vrget amaro;

Absce-

Abſcedunt gemini Patres, campiſq; relictis
Aëris, ad ſedes remeant felicis Olympi.
Ætheris interea ſummi ſpatiantur in aula,
Conſilia inter ſe Gothicis de rebus habentes.
Cum Paulus gladium vibrans, pia claſſica labris
Admouet, & miſto media inter murmura riſu,
Suſcitat empyreas claſſes, firmatq; Simonem.
Nō tibi ab hoſte timor, cui iā perfracta minarū
Ceſſerit in nihilum vis effera; iuſſa vbi primum
Angelus implerit, ſteteritq; ad flumina vultu
Iam propiore Leo, teloq; armatus, inermis
Pannonicum in Regē ſanctos iaculabitur ictus:
Noſq; Senem valido munimine vtrimq; tuentes
Multus ab ætheris comitabitur arce ſatelles.
Ergo cęleſti ptoperemus ab agmine certam
Scribere militiam, formidatamq; cohortem
Inſtruere; inuicto præcingere corpora ferro,
Et galeis operire caput, contraq; Tyrannum
Tendere; ſupplicium, tormenta æterna minari.
Sic ait, & nutu magni Barionidæ in armis
Excubat; ac veteris pugnę memor, vrbe Damaſci
Spumanti cum vectus equo, bella horrida latè
Infremeret; ſæuiq; pericula Martis adiret,
Delectus habet; Hungaricam quo milite gentē
Terreat, & gelidas detrudat victor ad Arctos.

FVLVII CORRADI

ARGVMENTVM.

PERGIT ad Eridani ripas digreſſus ab Vrbe,
Et ducit ſecum bellorum puluere clarum
Carpiliona LEO. qui exoptans inter eundum
Longa viæ verbis abſtergere tædia, & hoſtis
Curſim perlegere & mores & robora: iuxtà
Carpiliona monet; qui, ducto longius orſu,
Inchoat affatus, & formidabilis Hunni
Ortuſq; & ſtudia & mores & pręlia narrat.

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI DE VICTORIA S. LEONIS MAGNI.

LIBER SECVNDVS.



T non magnanimi bellatrix cura Leonis
Concussa trahit Vrbe moras: iam liquerat Arces
Romulidum, iamq; & Veios, Cyminiq; cacumen.
Deseritur celebri gens longum obsessa Camillo;
Vrbsq; iugis imposta Vetus; tum tramite læuo,
Politianæ Montes, gratissima Cælo
Culmina, seu triplici redimitum tempora mitra
Ceruinum, seu dent roseo radiare galero
Taurusios; Bellarminos: adde arua Senarum,
Arua quidem longe fęlicia; nomina ceffent
Pontificū, quotquot priscis Deus ante sub annis
Extulit. Vnus adest, sibi quē stirps alta Quirini
Vindicat, omnigenū seriē transgressus honorū,
Immensamq; Petri frenat Burghesius Alnum,
Pauli pacifero gaudens cognomine. Iamq;
Dulce solum Floræ, Fernandi Principis oras,
Præterit, & paruo qua sparsa Bononia Rheno,
Appenninicolas spectat, qua liuida Manto
Opposuit Graijs, mansurum in sæcla Maronem.
Dum tamen, insigni procerum comitāte corona,
Hoc iter ingreditur; cupidus cognoscere Regis
Ortusq; & studia, & mores, & prælia; iuxta
Carpiliona monet, qui nuper sæuus in Hunnum
Sub Ducis Aëtij ductu distrinxerat ensem.
Ille hæret, paullumq; Patrē sermone modesto

Extra-

Extrahit; atq; auidas coëmês ad carmina mētes,
Incipit. Hungarici natalia fœda Tyranni
Ordior, & patrio deductum ab limite, sistam
In Catalauniadum campis, fractisq; Aquilæiæ
Moenibus, ancipiti ludo mortalia passæ
Vulnera. Pannonicum frænabat belliger orbem
Mandulcus, Geticas suetus flammare phalāges,
Immanes Herulos, immansuetosq; Gothunnos
Christigenas contra. Fuit huic clarissima formæ
Sidere, Dannubij ad ripas generata Choaspis,
Centū optata procis; sed citra æquūq; modūq;
Pronior in Venerē: & quantū nix Sole liquescit,
Sithonio de monte cadens: tantum illa sagittas
Corde Cupidineas, populaturosq; bibebat
Idalia de matre ignes. Ergo anxia Patrem
Cura premit, Natamne velit sub iure paterno
Viuere adhuc, prorsusq; faces nescire maritas;
An potius sociare toris, & sanguine dignos
Transferre ad generos, ac, si fors vota secundet,
Maiores adscire etiam, præq; omnibus, illum,
Cui dat inocciduos Vrbs Byzātina triumphos.
Sed ratus ad thalamos properādū; cætera Gnatæ
Posthabet: Eoi connubia Principis ambit.
Interea in labem generis ne quid malus error
Contrahat, & stolido, qua fas, occurrat amori:
Turribus includit celsis, breuia ostia ferro
Sepit, & exiguus famularum admittitur ordo.
Tantum, semotæ lenimen dulce Iuuentæ,
Ore Canem niueo Genitor cōmittit alendum;
Quem Canachas inter, latratoresq; Molossos
Duceret in siluas, obscuraq; lustra ferarum,
Auspicio Diana tuo. Sed enim ægra, dolensq;
Fle-a: ab adspectu Virgo subtracta virorum,
Æde latens; quam diuisam popularibus auris,
Arcta fenestra aperit, præcelsaq; culmina tecti
Lambit, & emissos conuertit ad æthera visus.
Illa quid in noctes lecto vigilare serenas.
Illa dies tristi solides traducere vultu,
Tum cœtus odisse suos, alere vsque sub imo
Pectore suggestas petulanti ab Cypride flāmas.
Nec mulcere animum vana spe callida Nutrix
G 2 Qui-

Quibat; adulterijs nimium mens cæca pudēdis
Excubat. Ah discors animæ tenor! o tenebrosi
Vis horrenda Erebi! quæ recto à cardine sexum
Femineum prima exturbas, fractumq. furenti
Subijcis imperio, mergis Phlegethontide flāma,
Et Venere incæsta. Quid vero mollijt artus,
Atq; inconcessum satiaui t pectoris ignem?
Parce Pater; rerum series infanda relatu
Accumulat; quodq; ora mihi velamen honestum
Circuit, hoc castas, oro, tibi contegat aures.
Alecto substrauit iter, cinctumq; proteruo
Gestans angue caput, feralem irrepsit in aulam,
Virgineumq; adijt, nulli deprensa, cubile.
Forte aderat nox sexta, Astro nox sexta nefando
Fulserat, assuetis incanduit ægra venenis
Virgo, auido composta toro: tacitè aggerat olli
Eumenis atra luem; stat fęda Licentia rupta
Cōpede, inauditū scelus horula parturit. Ah qd
Non peperit fulmen rabies ventosa trisulcum,
Non tulit ad stygias tellus abrupta cauernas?
(Mēs refugit memorasse Canē) tali improba mę-
Nupserat, & primis Alecto pronuba tædis (cho
Affuit. illa haustam Cocyti è fontibus vndam,
Illa & flammifero raptas de vortice prunas
Antetulit ridens; mox rauca sonantibus hydris,
Flagitia impuri cecinit reticenda Hymenæi.
Hinc ventris tumuere sinus, intraq; receptum
Viscera sensit onus. progressu temporis illic
Insurgentem vterum deprenderat indice certo
Casta cohors; deforme Animal dum lumine fixo
Virgo [illegible] notæq; Animal blanditur amanti.
Ingemit, & captum dominæ indignata pudorē,
Ense Canē iugulat, summa & de turre cruētum
Deijcit. Insanos animi ciet effera motus,
Et facies flammata iubet, sibi perdita ab omni
Ictum molitur telo; sed subtrahit omnem
Materiam lethi grex prouidus, & (mora nulla)
Indicium facti patrias transmittit ad aures.
[illegible] infelix Genitor; primoq; rigentem
[illegible] in glaciem, perq; aspera tela pudoris
[illegible] inde gelu paullatim abeunte, solutum
Pur.

Purpureo tumet igne iecur, flumenq; coacti
Sanguinis in spumas abiens, hæc verba furenti
Suggerit. I, fidis Natam committe latebris;
I, notis seiunge choris; I, limina ferro
Obstrue, & occultam defende vrgentibus armis:
Irrumpet fatale malum, furtimq; subibit (aras;
Nequitiosa Venus. Quid nunc mihi culta per
Cũ Mauorte tuo, Venus es? quid numina myrto
Cingimus, & pictis decoramus templa rosetis?
Sit vero in fatis, qui natam expugnet adulter;
At simili de stirpe tamen. cur monstra nouẽtur,
Cur generis diuersa lues? cur sparseris in nos
Tam fœdum sors dira nefas? iam Creta nefastos
Miratur stupefacta toros. excusat amatum
Pasiphaẽ superata pecus. peiora quid ardes,
Quos thalamos incesta petis? Nata impia; pestes
Inter Auernales primis numeranda sub annis!
Scilicet in faciem, si sis mihi perfida præsens,
Irruerim, & gladio turpissima facta piarim.
Sed labes cęlanda tamen; coniuxq; legendus
Ex vernis, ex Aulicoiis; indignaq; sceptris,
Edita discordi det nobis pignora ventre.
Sic ait, & Gnatam tecta ad regalia duci
Imperat. effractos defleuit adultera postes.
Tum tristes deiecta oculos, confessaq; vultu
Læsi signa animi, pudibunda ante ora Parentis
Prodijt, & ruptum gemitu testata pudorem est.
Nec mora Pyrrhides, cui sit ducenda Choaspis
Seligitur; quamquam tædis male passus iniquis
Iungier, & dubia iam virginitate iugari.
Ergo sacris Hymenæus adest, vulgata per Istrum
Pompa sonat, patrio connubia barbara ritu,
Et repetita noui celebrantur fœdera lecti.
Iamq; ex congressu, tumefacta vxoris in aluo
Vir sobolem creuisse videt; iamq; adfore tẽpus,
Quo portentosi dicatur germinis auctor,
Ancipitem Lucina diem, partusq; futuros
Accelerat: Nox ante tamen, qua prole leuãda es,
Dat, Mulier, prænosse tibi. Nã (Luna supremum
Decurrebat iter) visa est peperisse biformem
Ambiguo de patre Canem; diademata Regni

Fronti inerant: cum dente latus laniasset acuto
Ipse suum. iam cæde ferox latratibus altis
Europæ quatiebat agros: metuendus in agnos
Irruerat, sancti referentes signa cruoris.
Incursu Latij custos gregis arcuit: ille
Compare suscepta, ripis se reddidit Istri.
Inde satur pastu, viridi dum fessus in herba
Stertit, & hesternam ructatur luridus escam,
Sanguinis obscæna illuuie perfusus, adunca
Excludit de nare animam. Mæstissima mater
Diriguit; famulas visa est excisse propinquas;
Excierat: grex multus adest, dominamq; recenti
Se se torquentem fœtu; iam iamq; dolentem
Ex vero, & tumidi laxandam pondere ventris,
Circumstant; fer opē, clamant, pia Iuno: repente
Infans ortus erat; facies sed bina tuenti (que
Fulserit, hinc hominis, Canis inde, vtrũq; vtriusManat ab effigie. Pyrrhiden terruit omen,
Incusansq; Deos, sobolem execratur acerbam;
Hæret; an exitio, turpi cum prole, parentem
Destinet, & cesset miseris increscere tædis
Dedecus. At soceri timor hinc abduxit, & inde
Aurea spes sceptri, quod rerum debitus ordo
Transferri ad Natā, propioraq; pignora sanxit.
Adde, quod & cęde abstinuit, mentēq; benignā
Induit in matrem, timideq; in Germina matris,
Longæui sermone Senis; qui ingressus in aulam
Principis, immodica sese afflictantis ab ira:
Pone, inquit, curas, & quæ tua pectora nubes
Plus nimio obsedit, peioraq; disce vereri.
Ne mirere, patri similem quod non tua coniux
Ediderit sobolem. Vis huic arcana sub ipsos
Concubitus; si qua ad mentē prorepat imago,
Spiritibus clausa inuehitur, sensuq; potenti
Defertur; qua parte vteri suscepta fouentur
Cōcubia, inq; hominē coēūt. Sed percipe porro
Quā tibi ab Aethiopū populis breuiore profatu
Prominus historiā. Qua Cācro incēsa, nigrantes
Zona premit gentes, Rex imperitabat Hydaspes,
Persinæ iunctus thalamis: huic, nocte silenti
Dum Veneri indulgent, cādens occurrit imago.
Hære-

Hærebant muris suspensa aulea. niuali
Tincta aderat candore oculos ac corpora Virgo
Andromede, duris humeros religata catenis.
Candida lucenti veniebat Bellua ponto;
Sed super impendens alis candentibus, acri
Arcebat telo Perseus, trepida ora Medusæ
Prætendēs, niueosq; nigris pro crinibus Angues.
Hūc niueū Archetypon, nitida hęc simulacra bi-
Obuersis Regina oculis, partusq; sub ipsū (bebat
Tempus (nigranti miracla horrenda Syenæ,
Æthiopumq; solo) niueum sub luminis auras
Enixa est pignus, nigra Matre, & Patre nigro.
Tantum animæ externis vis indeprensa figuris
Inficitur, tantumq; alieni inolescit imago.
Pelle procul tenebras, florescant tempora risu,
Et natam sobolem ridenti respice vultu.

His dictis, paullum corda indignantia soluit,
Depositaq; ira: plenis assensibus aulæ,
Athilan, infantem proaui de nomine dixit.

Labitur interea celeri vertigine Cælum,
Quodq; Poli numeratq; vias, paribusq; rotatur
Raptibus. egreditur pueriles protinus annos,
Atq; intrat primæ vestigia cruda iuuentæ.
Haud illum vincat cornu leuibusq; sagittis
Hunnus; non curua metuendus falce Gelonus,
Cesserit armato clypeum munire lacerto
Sarmata; puluereos Herulus percurrere campos;
Et Francus rapido fluuium transnare natatu.
Haud illo æstiuum quisquam patientius Astrū;
Haud illo hibernos quisquam tolerātius imbres
Perferat; exiguus somni, patiensq; laborum,
Arma fremens, audax animi, imperijq; petitor
Anxius, indocilis fidei, mente efferus, ore
Subdolus; incessu segnis, totoq; superbus
Vertice, grāde caput, corpus breue: lumina dēsis
Iuncta superciliis, flammis certantia, in orbe
Huc illuc distorta suo: dubiumq; colorem
Mista ab stirpe refert: sima nare, aure sagaci:
Indulgens Baccho nimium, certamina cuius
Pugnat apud mensas: & totius agminis vnus,
Vno haurit numerās carchesia marcidus haustu.

Quò vero emineat rerum ſceleroſior ordo:
Pronior in Martem, Marti acceptiſſimus idē eſt.
Sæuior in Chriſtū, Chriſto infenſiſſimus idē eſt.
Donatum hunc Martis perhibent furialibus ar-
Et muniſſe latus Gladio. tellure latentē (miss
Scilicet effodit Paſtor, dum forte per agros
Armentum moderatur: iners Bos illicò planta
Claudicat oblæſa. ſed enim Domini necis ante
Mucro reus fueras: ab Equo delapſus, amico
Enſe perit Leopoldus: amant fera tela cruorem,
Et data mactandis eſt gentibus horrida cuſpis.
Idem ergò ſpacijs factus iam grandior æui,
Fratre ſuo natu maior: cum triſtia primum
In Patris ſenium fata irrupere: potentis
Suſcepit fręna imperij, funeſtaq. belli
Signa mouens, imiſq. coquens certamina venis
Præterit Illyricos, proſternit in agmine Thracas,
Parrhaſios populos in prælia ſuſcitat: olli (nus
Gepida, & Oſtrogothus, iaculoq. potētior Hun-
It comes, & cupidum bellax Arneſtida vincit.
Hunc ad Pyrrhidæ fremitus ſtricto enſe fugādos
Miſſum, conſpicuis primum Victoria pennis
Excipit: at placidi ſucceſſu Martis ouantem,
Incautum, excordem tento ferus Athila cornu
Occupat, & ſtygias cæſum dimittit ad vmbras.
Sed quia Pannonicum clades inuaſerat agmen
Hinc formidato volitans Diſcordia ferro,
Primoreſq. Duceſq. inter: malus inde cadētum
Horror, & in putri moriens bellator arena:
(Nam ieiuna fames virus lethale per omnes
Fuderat) Hungaricum properè remeare ſub axē
Cogitur. hic Bledam, Romanæ commoda Pacis
Dum ſuadet, fratrēq. monet, qui mollius Hūnos
Temperet, & Reges vltrò ſua ſigna ſecutos:
Idem & Bleda tamen præcingere mœnia Budæ
Nititur aggeribus; Scythici prope littoris vndas
Inſidijs clam diſpoſitis, ſæuo enſe trucidat.
Porrò hac cæde ferox in Regum ſubdita colla
Altius inſurgit, famulùmq. adſcribit in album
Valamirem, Ardarigū, queis late Gepida pugnax
Seruit, & Oſtrogothus. Sed iā reparauerat omnē
Mili-

Militiam, quam discordi furor hauserat igne,
Quamq; auido violēta fames damnauerat Orco.
Adijciūt sese huic Heruli, Quadi; arma Toringus
Huic stringit, gelidāq; obiens Mæothin Alanus.
Inde auidus pugnæ, occiduā percurrere Calpen,
Et Theodorici prosternere signa furentis,
Signa per Hispanum quæ latè sparserat orbem,
Cogitat. ante tamen magno molimine furtim
Aëtium pretio oppugnat, Romana fouentem
Præsidia Aëtium; ne suggerat hostibus arma
Visigothis. parte ex alia connititur astu
In Theodorici depromere tela ruinam,
Quem nuper Latijs grassantem vidimus oris
Aëtium contra. Sed enim fraus vtraq; neutram
Sortita est mentem, sat docti, noile Tyranno
Fidere Pannonico. tristi irritatus ab ira
Intumuit; quo more vndas cum feruidus Eurus
Incidit Ionias; tumidos assurgit in orbes
Lympha rapax, seseq. aperit diuisus vtrimq.
Gurges, & externis ponit sua litrora campis.
Iam te Ryphęis Germania tractibus acri
Marte grauem recipit, te limes Gallicus horret,
Athila: tu veluti fulmen, quod ab æthere lapsū
Austrorum genuit vis importuna, per agros
Funestum molitur iter: quæq; attigit, altos
Dissipat in cineres, & vbiq; incendia nutrit.
Sic propè, fulmineo qua fers vestigia passu,
Cuncta igni inuoluis, ferriq. ab turbine vastas.
Quid referā Rhæmense solū, quàm funere multo
Arserit! hic animi egregium, sanctoq. calentem
Flamine, adhortantem populos, in fędere perstēt
Christiadum; gladio non horruit ire peremptum
Nicasium, non Eutropiam; quā perfidus Hūnus
Incursu primo si non transuerberat ense,
Pignore pro formæ: pietatem exosa nefandam,
Prouocat illa hostes, & sacræ verbere linguæ
Pungit, quo nolint sibi parcere. Quaue celebrē
Laude Lupū, Christi tremefacta armēta tuentē?
Cuius cum circa trepidum fremuisset ouile
Barbarus, & teneros quateret balatibus agnos:
Humanæ contemptor opis, purum æthera mit;

Corde adit;ac superis dextrā splēdoribus armās,
Fertur in obstantes acies, lumenq; tremendum
Diuidit, & solito spoliatis lumine flammas
Imprimit æthereas. caligo æterna furentes
Arcuit obtutus, nullaq; vtrimq; ruina,
Ingressi peragrant Threcasinæ mœnia gentis,
Nec nisi trans portas oculorum redditur index.
Sic quondā, referunt, misisse Benadida regem
Syriacas classes, Dothain per pascua, iuxta
Israëligenum terras; quæ cuspide sæua
Perdere Eliseum vigili statione pararent,
Ille, fide Superum diuinitus implorata;
Non aduertentes, inopino luminis ictu
Percutit; & cęcos dux ipse incognitus, agros
Ducit in hostiles, atq; in Samaritida terram,
Discussis illic tenebris. Nec carmine nostro
Indicta, ò patrios hoc æui egressa Britannos,
Vrsula, transieris: te Cęlo adscripta trahentem
Sæcla Puellarum; thalami quod iura recuses,
Virginea cum pube necat. Stupet effera corda
Rhenus, & immutat peregrino sanguine fluctus.
Ecce autem Aëtij vires fracturus, in oras
Rursus Tectosagū, Catalauni ad mēnia turmas
Hunnus agit: Vatis dicto, qui lucis in ortu
Aegram falsidico tumefactus Apolline mentem,
Hoc monuit sermone Ducē. Lux ista nefastis
Plena Deis, dabit Hungaricis ingentia campis
Funera; quam cladem Dux obtrūcande leuabis
Agminis infesti. vox hæc spem pauit inanem
Regis, in Aëtium præsagia dira ferentis.
Ergò ineunt pugnas;gemitus hinc inde cadentū
Personat, in Geticum quamquā violētius agmē
Mars furit. obijcitur certantibus alea fati:
Sed Theodorici in caput insperata cadit sors.
Elusa hinc rabies Scythici ductoris, acerbum
Ingemit, atq; iterum conducto milite in hostem
Arma remolitur, bellatricesq. reposcit (torsit
Ad noua bella Aquilas. Sed mors properata re-
Consilia: Aëtium Romanæ gentis Achillem,
Magnanimum Aëtium non ęquo iure perēptum
Vidimus. O Gothicis posthac viduata trophęis,
Sem-

Semper ab ancipiti rerum turbata tumultu,
Patria! præcipitis quid post furias Alarici,
Quid tibi cum bellis? ne quicquã, Roma, pauenti.
Nunc premerere metu: vis à te exempta pericli
Longè ageret: magnum non lex aduersa Leonẽ
A grege distraheret: non his regionibus altum
Solliciti raperemus iter. Te, vindice dextra,
Athila comprimeret, nudoq. in puluere prædam
Linqueret Alitibus; populos tua iura verentes,
Trans Pontum, trans perpetuis obsessa pruinis
Regna relegasset, qui nunc fato occubat. At nos
Nitimur heu frustra verbis. non ille resumpto
Excidit à scelere: trepidam succendere ferro
Occipit Italiam; transfert huc robora regni,
Quotcumq. ęquoreis Vrsa educat exul ab vndis,
Ergò Pannonias confestim classe frequenti
Deserit, atq; ausis ingentibus omnia passim
Diruit: Aeolias imitatus Marte procellas;
Si quando emergant reserato à cardine montis,
Claustra sali, secreta soli, iuga, nubila, siluas
Concutiunt, Mundiq. fidem, nexusq. resoluunt.
Hac face pugnarũ iã feruidus Athila Carnos,
Iamq; Forũ Iulij transcenderat. Aemula Romæ,
Perfugium nostris Aquilegia cohortibus vnum,
Nisibus impetitur totis: ductoq. potenter
Aggere, & in gyrum positis legionibus, Vrbem
Heu malè securam, longa obsidione fatigat.
Ter flauam messor Cererem, ter Vinitor vuam
Presserat, in totidẽq. orbes Ver, Bruma secarat
Tempora. Cum lentè instantis caligine belli
Vrbs perfusa oculos, expertàq. Marte sub ipso
Neruorum sonitus, & pila frementia, quàmq.
Non æquo starent acies discrimine; muros
Ambiri latè, nullas admittere vires,
Impendere famem, rebusq. exercita in arctis
Diffidia, extremo nil iam differre periclo:
Aspere agi ab se se reputans, nisi callida ciues
Ipsa suos aliò dimittat. ceu pia mater,
Cum natis instant crudelia vulnera, pectus
Obijcit ipsa suum, crebroq. paciscitur ictu
Progeniẽ timidã. Quãdò autẽ immota cruentã

Fata necem spondent, decurruntq. ordine certo
Vellera Parcharum: confestim examine magno
Trudit in Hadriacum littus, propioràq. latè
Oppida; qua medijs in fluctibus, altera Delos,
Constitit, & Venetum deducit origine nomen.
Ante tamen dulci inuẽto sparsa agmina fallũt
Hungaridum, & dubia falsi sub imagine belli
Hostiles acuunt animos: qua parte tenaces
Vrbs coit in lapides, prospectuq. ardua longo
In præceps Arx alta patet, muriq. labantis
Circumcingit opus: qua non obsistere telis
Aptior, & celeres fundarum auertere pulsus
Fortior: atq; alibi nutent cum mœnia, primo
Occasura ictu; si fors dira indicet hosti:
Omnis in hoc Vrbis tractu stat cura: furentes
Huc cogũt capere arma acies. sic vertice ab omni
Militiæ in veræ speciem, vigilantia pila
Disponunt: habet insomnes custodia muros,
Ludicroq. Vrbis magnæ latera omnia complent
Milite: quem trabibus solers fabricator acernis
Struxerat, & veris onerarat brachia telis.
Contrahere hunc arcus, illum tormenta volucri
Saxo armare putes: hunc toto concita nisu
Missilia vrgere in cuneos: in prona repulso
Stridet funda globo: pœne vt displosa feratur
Plumbea congeries, flatusq. retundat inanes
Hunni: pars gladijs, pars tuta bipẽnibus: omnes
(Vnus amor) ficta turres statione coronant.
Elusit fraus ista hostem: dum tramite lęuo
Clam portas aperit fugitiuus ciuis ab Vrbe.
Subrisit toruum Fortuna, atq: omine aperto
Indicat excubias insano Marte teneri.
Porrò stridenti crepitare Ciconia rostro
Non semel audita est: atq; Vrbis peste repulsa,
Visa est pallentes sua pignora ferre per auras.
Forte etiam Aligerum turmæ per inane volãtes,
Vnguibus intortis abiegni militis ora
Insedere vltrò: nec quicquam profuit arcus:
Tum ratus insidias Hunnus; toto impete portas
Arietat; auulso patuerunt cardine, & omnem
Confertim turbam, nullo prohibente, receptãt.
Nec

Nec mora, disiectis altè seges ignea muris
Emicat: & quà quà Bellona pepercerat, illac
Vulcanus ruit immissis truculenter habenis.
Ac veluti validis remorum impulsa lacertis,
Quæ certo primum stetit æquore, concita cursu
Percurrit vastum Ratis imperterrita pontum,
Sic prope victrices referens hinc Athila palmas,
Imminet Italiæ toti: postq. eruta circum
Oppida, post steriles pulsis cultoribus agros;
Cogitat Ausoniā; Tyberim quoq; ꝓpter amœnū
Sistere equos, fractaq. auidos dimittere Roma:
Quā nūc seruat honos, Pastor, tuus. O Leo sæuis
Edite temporibus: quàm duro cogeris astro,
Orbe peregrino ferales ire per oras!
En pęne Eridanū premimus, propiusq. Tyrānō
Absumus. ah trepidis adspirent numina votis:
Teq. animi inuictum, voti velit esse potentem,
Cęlorum qui summa regit: qui dissita longè
Copulat, irriguas de cautibus elicit vndas,
Cordaq. vel solo permulcet ferrea nutu.
Talia Carpilio memorat, rapidisq. feruntur
Passibus: innocuo qua Mincias vnda natatu
In Phaëtontæum defert sua viscera flumen.

FVLVII CORRADI

ARGVMENTVM.

ANGELVS horrificis terroribus Athilā vrget,
Educēs Gothicū Stygijs Alaricō ab antris.
Exardet stimulis irarum Pluto, furensq.
Compellat diram Alecto: falsa ora Alarici
Induat, ac Regi presens, cantata recantet
Colloquia, & positi reuocet conamina belli.
Sed Cæli iam miles adest. Leo voce verenda
Hunnū arcet, sæuaq. refert de gente triūphum.

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI DE VICTORIA S. LEONIS MAGNI.

LIBER TERTIVS.



MPIGER vmbroſo Genius remearat ab Orco,
Imperijs parens magni Bar-Ionidæ: at illum
Tartareos linquentem adytus, obſcuraq. Ditis
Oſtia, de cuneis Animarum eductus opacis,
Inſequitur pallens Alaricus: & obrutus igne
Fulguris Angelici, trepidos in pectora pulſus
Accipit: & magicas cum iam non horreat artes,
Labraq; liuenti verborum imbuta veneno:
Concutitur grauiore metu: ſuſpenſus & anceps,
Quas eat ad partes, quos tranſducatur in vſus.
Ac dum per tacitæ telluris operta feruntur.
Ad Conſentinas valles, ditataq. buſto
Buſſenti vada glauca ſuo: tali vrget euntem
Angelus alloquio. Quibus vreris, his quate flā-
Atq; age diuerſos, qui rerū exēpla tuarum (mis,
Aſſumpſere ſibi, flexu qui mentis eodem,
Milite prætendunt Romam temeraſſe profano,
Vnum præ reliquis pungas: qui pectore toto
Æſtuat in Latios tractus, Romanaq. vecors
Diripit arua animo: cum Nox denſiſſima fuſcis
Arſerit Aſtrorum faculis. Quoq; acrius iſte
Pertenuis ſenſus, facieſq. cadaueris illa,
Qua Siculis olim ſub finibus occidis, Hunno
Incubet, & ſtolidi reuocet conamina cœpti:
In,

Indue corporeum pōdus, quod ab arce sepulchri
Eruero: & Stygiæ referens incendia terræ,
Subde breues in luce moras, quas hauseris æger,
Post deuastatam ternis excursibus Vrbem.
Hæc ait, & Bussentinum deducit ad amnem.
Tunc aliò uersus flumen iubet ire, retortis
Fluctibus, atq; imi retegit vada littoris: inde
Eruit infossos artus. Ignota sepulchri
Effigies, non Niliacas imitata Columnas,
Aëre non vacuo pendentia Mausolæa,
Nō caua saxa Phrygū. nā cū prope mœnia Rhegi
Fati supremas Alaricus abijsset in horas:
Ne quis, ab hostili perculsus pectora thyrso,
Effoderet corpus, diuisumq. ense per agros
Spargeret: hæredis cauit pia cura. reflexos
In gyros curuat Bassentum, & tempore certo
Corriuat: famulum dū plurima turba latebras
Effodiat, Thesaurorum quas molibus explent:
Ac super imponunt defuncti corpus: humoq.
Largius ingesta, primos vaga flumina cursus
Instituunt, solitoq. latex adlabitur alueo:
Tum ferro incauti sternuntur, quotquot agēdo
Artifices se exercuerant: ne fama sepulti
Regis, conciret cupidas ad furta cohortes.
Iam viuax Alaricus erat, iam corpore viuo
Cum Duce sidereo, celeres per inane volatus
Carpebat, rapidiq. Padi iam nota tenebat
Littora. Dimensam Phœbi leuis orbita lucem
Torserat: Hesperio properabat ab æquore, pictū
Nox Stellis vmbrata caput. trux Athila somnū
Ebiberat: flatu venas perfusus anhelo,
Post graue dissidium mentis, reuolutaq. belli
Consilia, augusti recubabat limine tecti.
Ille Erebi de fæce madēs, metuēdus in armis,
Et tamen extremi ducens cruciamina lethi,
Incumbensq. toro. Quid, ait, ferit effera pectus
Sedulitas? quid Tarpeis intendere vincla
Rupibus, imprudens vestigia nostra secutus,
Hunne paras? non est tutum contendere contra
Astriferas moles, Orbisq. arcana superni,
Crede mihi, quisquis Latijs adspirat habenis,

Quis-

Quisquis Romuleos inuertere vomere colles,
Adpetit: ille ausu Icario libratur in alas,
Et cadit in præceps: ille ætheris excidit arce,
Et miserũ Phaëtonta refert. quin cõijcis in me
Lumina, diluuio armorum qui Martia tecta
Inuolui: exiguo sed temporis interuallo,
Bruttia Sicanium qua respicit ora Pelorum:
Febribus immodicis, altaq. voragine morbi
Deuoror: inde nigra Eumenidũ detrudor ad an-
Qui premar ęternũ flãmis, supraq. nocentũ (tra,
Supplicia, ah pœnis longè grauioribus angar.
Hęc fatur: raptimq. abiens (nã Lucifer albo
Vectus equo, iubet emeritam discedere noctẽ)
Elicit occultos ignes, atq; Athilan atris
Afflat agens facibus, rabiẽq. inculcat Auerni.
Tum Bussentinus recipit sua corpora vortex,
Styx vlulantem animã. Somnos discussit inertes
Horrens forma Viri: stratisq. exsurgit ab altis,
Certus ab Ausonijs Martem deflectere campis.
Hæc malus Inferno rimatus ab aëre Dæmon,
Irarum exarsit stimulis, iussumq. Alaricon
Acciri ad sese, flammis maioribus vssit:
Ac raptũ in sublime, ter in Phlegethõtide mersit
Vnda, Ixionio ter agi præcepit ab orbe,
Sysiphiũ ter voluere onus: mox crimẽ acerbãs:
Quid pius in sontes sons ipse, & triste coërces
Ingenium, fueras olim qui carmine tali
Ante coërcendus, quàm septem culmina Romæ
Dirueres, tristiq. reum te clade ferires?
At puto, cælesti compulsus ab Alite, nostri
Eiuras decreta Poli: moremq. modumq.
Tartareum oblitus, reuocas à crimine Regem.
Quis furor, o Superi? quæ tanta audacia? vestris
Degite concilijs: raptas adsumite in arces,
Vnigenam quicũq; colunt. quid dedita nostris
Ritibus, Empyreas dicto execrantia leges
Pectora, per nostri tæterrima robora Regni,
Flectitis ad rectum? faxo, cantata recantet
Consilia, atq; animos soluat, quos ante ligarat,
Fronte sub inducta fallax Alaricus. Auerno
Tum ciet ex imo, nectentem crinibus angues
Lu-

Luctificam Alecto, properè quã talibus implet.
Perge age, bellorum fotrix, spes fida Barathri,
I, Gothicũ simulata Ducẽ: belli excute flãmas,
Et super inductum cinerem, succende priores
Hungaridæ furias, & quæ tibi cumq. Colubræ
Cæsariem incingunt, inspirent præmia pugnæ,
Intendantq. truces animos. Volat ocyor Euro:
Ac multa de nocte, Ducem, qui in luce pararat
Bellonam transferre aliò, fortesq. phalanges,
Aggreditur, Quæ te (indignũ) sentẽtia vertit,
Ecquis præclaro suasit desistere ab orsu,
Maxime Pãnonidũ Ductor? certè inuida nubes,
Et nequã Liuor, tumidam ne mittere Romam
Sub iuga, ne cogas tua sub vestigia Thybrim,
Et tanti spolies temet splendore triumphi.
Noui, quas in te fraudes intendat Erynnis,
Indignanlq. tuli. mèn refferat ipsa? meiq.
Viuida ab effigie, reuocet tua vota: silenti
Dum somnum sub nocte bibis? mendacia mecũ
Indolui, tristemq. vicem miserans populorum,
Qui Latias duce te, sperant calcare curules:
Sedibus Elysijs vltro digressus, adiui (scum
Hasce domos: qui te admoneã, stringẽda in Etru-
Arma latus, Geticoq. adeundã milite Romam.
Ipsa Palatino residens in vertice Virgo
Te vocat, atq; Aquilas bellatrix Gloria frãgit.
Talia voce refert, tacitisq. adsibilat hydris,
Romuleum obijciẽs dubia sub imagine Regnũ.
Protinus ille toro erigitur, veteremq. furorẽ,
Infractosq. animos, stimulo grauiore resumpsit.
Haud secus, vndanti fluuius qui labitur alueo,
Frangitur obiectu lapidum, seseq. coërcet
Spumeus: amoto dum tutus ab obijce, primas
Turgeat in furias, ex more licentius errans.
Ergò faces missæ rursum ferus Athila pugnæ
Excitat, & Scythicas hortatur voce cohortes.
Tollite signa Duces, disrumpant classica sõnos,
Inq. omnes redeat ferri calor. omnia pessum
Vestro Marte ierint, per quẽ cecidere tot Vrbes
Europæ, patrijq. caput pacauimus Istri.
Innumeras vna hæc dederit Victoria palmas;
Ro-

Romanas rupisse fores, fregisse Quirini
Mœnia. Vos serie Gothicarum accedere rerum
Est pudor: & paucis insomnia vera referrem;
Ni foret. Ausonias qui irrumpere suadet in oras,
Me minor. hoc alias alij fecere: quid Hunnus
Non super his ausit? communis laurea mentes
Occupet: auulsis Latij compagibus: vltra
Quid queat Hungaricæ se dirũ opponere dextrę?
Dixerat: assensu cunctæ fremuere phalanges.
Quantaq. per siluas discurrunt murmura: ramis
Cũ Notus incubuit: tantus ferit æthera clamor.
Diuellit iam castra loco, dispostaq. ripis
Armamenta rapit non segnis in agmine miles.
Pontibus arctatur Padus ingens, littus vtrumq;
Iungitur, & Geticis substernitur vnda maniplis.
Porrò & ab Empyreis exercitus instrepit oris,
Signiferum te, Paule, sequẽs: tua iussa capessens,
Petre Simon: classes æris seges alta per omnes
Diuiditur, pars hæc arcus, pars illa trabalem
Crispat agẽs hastam: micat acribus illa sagittis,
Hæc facibus: genera armorum vix lõgà tuendo
Expedias: legio incedit pennata per auras
Discolor; & certo spatiatur nubila ductu.
Tu quoq; in exitium scelerati Principis, vltrò
Eutropia cum Fratre, venis: Tu Regibus orta
Vrsula: Virgineis graderis vallata cateruis:
Martyrij sanctis quamquam lætissima signis.
Iam verò Eridani in fluctus vibratur ab alto
Fulgor, & Angelicæ referitur formà cohortis,
Et sonus armorum, flammataq. lucis imago.
Res ea, Pannonicũ dum flumina traijcit agmẽ,
Non tenuem incussit gelidæ formidinis ictum.
Pars retrò turbata abijt; pars hæsit in ijsdem
Passibus, immodicis constricta pauoribus: illic
Pars semet gladijs, exterrita confodit: hic pars
Desilit in vastos sinuosi gurgitis orbes.
Despicit hos. si quis mentis sustollat acumen,
Rerumq. eliciens caussas, putet omnia secum,
A geminis Cęli regionibus emanare.
Vel quæ ab defluxu radiorum dissita, crudum
Frigus alit, proprijsq. opibus succensa, rigentes
Ver-

Vertitur in facies. vel quæ vicinior Axi
Aestuat, & rutilis exercet prælia flammis.
Nec minus in cursu trux hæserat Athila, pigram
Corde premens glaciem, Paulo vibrāte sagittas,
Frigus agente Petro. Sed iā Leo desuper vndas
Eridani occurrit Geticis Legionibus. olli
Stipat vtrumq. latus, stricto spectabilis ense,
Paulus: tum claui gemina Bar-Ionius heros.
Certus militiam Cęli discriminat ordo:
Et duplici cuneo, florentis honore coronæ
Romulidem cingit: stat mobilis ora Tyranni
Nil oculo renuente, tuens: spectantibus æthræ
Ciuibus, & linguæ illustrē formantibus orsum.
Interea Patres Hunno dum dira minantur:
Auscultet ni forte Seni, sacroq. coactus
Pareat alloquio, atque aliò certamina vertat:
Romanus placido sic inchoat ore Sacerdos.
INCLYTE Pannonidū, cuius fax bellica toto
Terrarum memorata solo, quatit horrida gētes,
Et quas digrediens ab Eoo cardine Titan,
Et quas, Hesperijs cum languidus incidit vndis,
Respicit: obliquo Boreas quas sidere, quasq;
Auster: quam non immeritò de finibus vsque
Prouecti Ausonijs, veneratum venimus, æqua
Has voces, precor, aure hauri: sic proxima votis
Stēt Cęli Astra tuis: sic grādibus aucta tropheis,
Hunnica te digno celebrentur nomina cultu.
NAturæ Genitor, Mundi nascentis in annis,
Regnorum cum iura daret: mansura per omnes
Fœdera discreuit tractus. subsideret imis
Orbis carceribus vastissima terra: secundo
Feruerent gremio spumantis regna profundi:
Aëreos legerent tum pondera tenuia campos:
Hæreret Cęlo vigor igneus. hance quaternam
Materiem lex vna ligat: neu deuia, discors,
Nexibus abruptis, adscripta ergastula rumpens,
Concordi cinctam vinclo, pulchro ordine textā
Congeriem, prisci tenebris inuoluat Abyssi.
Atque adeò exemplo partitæ molis, & Orbem
Latè regnandum Regi non consulit vni,
H c Pontum, Lyciamq. regit, plaga subditur illi:
Cappadocum, dorsoq. Cilix malè tutus iniquo,

Al-

Quid qui vesanum pressus caligine pectus,
In fora Cælicolum stringit sua tela, sacrasq;
Persurit in caulas, & castos dissipat Agnos?
Longè, oro, mens ista homini: tutissima, cõcors
Perstet in Orbe Fides. Olim Babylonia torquẽs
Sceptra Nabuchodonosor, Solymi donaria tẽpli
Diripiens, sacras lances, & ahænea labra,
Cymbiaq;, & mensas, auriq. è mole lebetas
Aufert: septenis qui messibus inter Onagros,
Infelix lolium, & pallentes ruminat herbas:
Posteritas commissa luit: Balthassar iniquum
Sortitur solium: Satrapis regale, superbum
Indicens epulum, princeps accumbit; at escas
Lancibus imponit sacris, Calicesq. potenti
Baccho onerat, vetitoq. miser se proluit auro.
Ecce autem, dum iussa cohors discumbere, luxu
Indulget nimio, Regemq. in pocla frequentem
Prædicat (ò superæ miracla incognita dextræ!)
Protinus adspectat Rex toto immobilis ore,
Pariete suspensos digitos, raptimq. volantes,
Ducentes vltrò hasce notas. Numerauit Olympi
Rex Regnũ, dux magne, tuũ; & quod deerat, abũ
Suppleuit. nũc in trutina libraris, & expers (de
Plus minima iã parte tui es. iam principe bino
Diuideris, Regnumq. aliò transfertur: & æquè
Partem Persa minax, adsumit Media partem
Nec mora, funereos cũ Nox accincta cupres-
Proferret lacrymosa caput; Chaldæus acuto (sus,
Ense cadit, pœnasq. operis, te vltore, profani
Rector summe, luit. tales qui exosus ab ævi
Principijs culpas: quia nunc Alaricus easdem
Tãtum ex parte nouat, totã tamẽ æquus in illũ
Promis vindictam. nostram cum perdere Romã
Excidio, & latio perfundere sanguine Thybrim
Discuperet: prudens rabidis legionibus acri
Nunciat edicto: ne quis temerarius Vrbe,
Impeteret ferro, sacras quicunq; sub ædes
Confugerent, seq. obiecta pietate fouerent.
Præcipuè Petrum reuerens, Paulumq., tepentes
Cæde manus prona capitis summitteret arce.
Cumq. furens trepidam miles succẽderet Vrbẽ,
Et Bar-Ioniaca Calices rapuisset ab Aede:
Con-

Contiuuò cautus sacrata in templa referri?
Iussit, & iratum placari thure Monarcham:
Sic pius, atque humili cõtentus Marte: Pachinũ
Dum petit, & placido componit carbasa ponto:
Vi lethi subita abreptus, Latialia tantum
Mœnia calcasse: ah quantum terrore profundo
Indoluit: tardèq. animos inflexus, amauit
Haud Romæ tetigisse latus: nunc cõditus Orco
Aestuat: & nigræ sorbens incendia vallis,
Aeternùm perijsse velit; tandemq. receptis
Ignibus, in ventos consumptus abijsse: sed altę
Lex prohibet perijsse necis. Verũ adspice temet
Athila, circuitu tanti contentus abundè
Imperij: dubias noli transcribere palmas,
Qua vindex Deus, instructus cælestibus armis
Ausonios seruat lymphato à milite tractus;
Et Capitolinis iaculans de sedibus ignes,
Hostili ab clypeo Romanum vindicat Orbem.
Ecquisquam vecors Superos in prælia poscat?
Aequetur superis humana potentia regnis?
Nec verò nostra non de ditione triumphas,
Et sperata refers trepida de plebe Quirini
Præmia. iam duplex cumulat Victoria fœnus,
Et maior tua Fama volat. prosternitur vltrò
Plantas ante tuas Populus, qui Victor vtrumq;
Ambijt Oceanum, cuius nomenq. decusq.
Aemulus humentum stupuit frenator aquarum,
Tu tamen extremi domitorem cardinis, alto
Subijcis imperio: quod si quoq; frena remittas
Irarum, & venia populum dignere precantem;
Ipse tui victor, donabere duplice sceptro,
Nec tam nos fuerit, quam te vicisse decorum.
Te certè humanæ dudum fastigia palmæ
Transcendisse vides, nil iã superesse, quod optes,
Excessisse fidem gestarum immania rerum
Nomina, quid sacros ni demũ accedere ad axes
Est super, & fieri propius stellantis Olympi
Ciuibus? vt quos obrueris victricibus armis,
Incolumes vsq; esse velis, nec perdere eosdem,
Qui tua submisso verrant vestigia vultu.
Talibus orabat Senior, securus amati
Fœderis. Heroes strictis mucronibus vrgent,

Prom-

Promptàq. sidereus circumsonat arma sa elles.
O nimium verbi vis indeprensa superni,
Aetherias complexa plagas, quæ turbine sacro
Immensum per inane ruis: perq. ora verendi
Præsidis erūpens, ceu lapsum ex æthere fulmen.
Frangis caucaseas mentes, & ahænea corda
Mulces igne tuo: quæ attactu mollia, miras
In species abeunt. Iā non ferus Athila, iam nō
Corde ferox: abijt feritas, abiere minarum
Nubila. Pax totis exæstuat alma medullis,
Nomen Pacis amat, toruo Pax aurea in ore est.
Iam victas dat sponte manus, sanctoq. Parenti
Supplicat: Italicis reddat se protinus aruis,
Et meritos Getica referat de gente triumphos.
Se nihil ausurum posthac, quod regna Quirini,
Quod quatiat Latiale forū; verum ille clientē,
Mancipiumq putet; præscribat iura, catenas
Inijciat, Scythicas iubeat penetrare paludes?
Paruerit: Latijs reddat se protinus aruis,
Ingeminat: lætusq;, loco si cedat, & ipse
Cesserit: obstare arcanum quid, quo minus inde
Se abstraxisse queat. super & satis esse minarū:
Nil fore, cur stricto ferri mucrone petatur.
Adsistit stupefacta cohors; quę sparsa per auras
Agmina, & expositos bellorū ad signa maniplos,
Non capit obtutu: pauidos tamē hauserat ictus,
Admirata Ducē; in Romā modò fulmina, cędes
Spirantem, & tumido laxantem fræna furori:
Nunc mitem, accliuēq. solo, pia dicta Serentē,
Lambentem tremuli vestigia fessa Leonis.
Nec mirum. instabat iaculis exercitus omnis,
Et nuduta Duces vibrabant arma; proteruus
Si contra obstasset, Patri & parere negasset,
Sed plenè infracto Lepori quis spicula demens
Inferat? implicitis quis tendat retia Thymnis?
Post prædam Venator abit: lætusq; volensq;
Posthabet, & vacuus patrias vltrò petit oras.
Quid facias, Romane Senex? secedis, & altè
Attollens visus, grates agis illicò toti
Militiæ: in primis geminum dum voce Parentē
Compellas: se se ex oculis ignobilis Hunni
Auertant paullum; pergisq. adscribere palmas
Vtriq;

Vtriq. Hungaricas. Rex circumquaq; rotato
Lumine, longè alio auectas videt esse cohortes,
Inclamatq. dolens. Felix Romane Sacerdos,
Felix Italiæ tractus: tibi militat Axis,
Et decimæ Regionis honor. te propter acutis
Horridus in clypeis Heros latè vnus & alter
Pugnat: te æternis, in me iurata, trophæis
Stellãtes supra esse globos iubet enthea virtus.
Flectite iter socij: ripas contendite ad Istri,
Pannonicumq. orbem: longè attentasse recessus
Romuleos, huc vsque sat est: sat voce coronas
Vsurpasse tuas, Cęlo gratissime Thybri.
Scilicet in patrijs senium componere terris,
Decretum fixumq. mihi; procul ęmula Martis
Dextera; Palladijs reptet mihi paruus in vlnis
Athila, pacifera frontem redimitus oliua.
Sic ait: & quanto Nilus fluit agmine, septem
Cum ruit ad portas, & ditat rura Canopi:
Tantò sublatis insignibus, impiger Hunnus
Proruit: & rauco resonent cum cornua cantu,
Nil furiale sonant, nil quo, de more, retentet
Accensas Bellona acies. Hymenæa canoro
Aere cient, dubio celebrandas omine tædas,
Ore iterant, rapido præuertunt agmina passu,
Connuubiale gerens vinclum Saturnia Iuno;
Tristis Hymen sine luce faces; succedit Iacchus,
Ebria sustentans tremulo vestigia thyrso. (ięuo,
Rem probat euentus. thalamos, Strygis omine
Dũ celebrat, grauidoq. onerat cõuiuia Baccho;
Nocte autem madidas exsudãs marcidus escas,
Profluuium passus calefacti sanguinis, vnca
Nare vomens animã, specubus dãnatur Auerni.
Sed iam cælestis dimittitur aëre toto
Militia, & superæ legionibus additur aulæ.
Aereum pellucet iter; vestita sereno
Nubila, purpureus non indignatur Olympus.
Protinus Ausoniam repetit Leo: plaudit ouãti
Romulidæ, quà quà graditur, gẽs omnis; & altè
Attollunt humeris, seruatoremq. Latini
Nominis; Hungarici referentem signa Triũphi
Vocibus alternant; structoq, vtrimq. theatro,
Sublimem celso Capitoli in vertice sistunt.

FINIS.

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI AEGYPTIADOS, LIBRI TRES.

Ex Libro I. Epigrammatum Francisci Remondi Diuionensis è Societate IESV.

AD S. MARIAM AEGYPTIACAM.

Hic amor, hic gemitus culpas extinguit: amares
Si non peccasses, forsitan ipsa minus.

TVMVLVS DIVAE MARIAE AEGYPTIACAE.



E Nili genuere plagæ, quæq; arua Philippi
Prole tument, annos edocuere rudes;
Edocuere quidem, sed crimina, quæ tamen Vrbe
Dauidis, auspicio Virginis, eluimus.
Hæc in desertas Solymæ transcribit arenas,
Egrediorq; nouem hic lustra, obeoq; diem.
Zosim⁹ hic tumulat, quã nũc Salomonis in oris,
Inq; Helenæ Templis enthea seruat humus.

Christophorus Laurus Eques Hierosolymit. Perusinus.

REVERENDISS. D.

NEAPOLIONI COMITOLO,

PERVSIAE EPISCOPO,

IO: BAPTISTA LAVRVS. S.



Xit in lucem, Pastor Amplissime, primus hic vigiliarum mearum fructus: te quidem non abnuente, me vero etiam exoptante: quid nì enim ego me prodam? tametsi longè diuerso consilio, ac pleriq; interpretaturi sunt; ambitiosè à me videlicet factum, qui nondum extra Adolescentiæ metas constitutus; qua ætate compluribus in eo scribendi genere pedem vixdum promouisse videri possum, de edendo cogitauerim. Parcant, obsecro, homines isti censuræ; nec me ante culpent, quàm consilij mei rationem inspexerint. Equidem illud Romani sapientis monitum, Agricolam penitus deperdere si quod semen inseuerit, minus excolat; ita olim religiosè sum complexus, vt siquid in me bonæ frugis Poëtarum lectione erat inspersum, emori minime paterer; quin potius enixè operam darem, quantum à grauioribus studijs vacare liceret, vt solerti sub-

actio-

ustione paullatim succresceret, meq; in spem messis vberioris, si qua vnquam, erigeret. Ea propter ex Alexandrini Clementis consilio Heliconem, & Citheronem deserens, Syonem inhabitans, Musas ipsas abire iubens; ac cælestes Mentes meorum laborum auspices inuocans, de DIVA MARIA AEGYPTIACA, *in quam peculiari affectu inde à pueritia exarsi, hanc opellam meditatus sum: quæ quãquam domi contineri poterat, ex vmbraculis tamen in Solem eo potissimum nomine emittitur; vt alieni iudicij exploratrix, atque internuntia, quid mihi ex huius generis scriptis posthac sperandũ sit, fideliter, liberè, apertè indicet: nec enim ego Suffenus, qui mihimet placeam: iudicium ergo, non plausum; licet expectare & hunc ab hominibus liceat, cum (quod aiebat Stratonicus) nullo constet impendio. Quod superest, fœtũ hunc, quem obseruantiæ meæ apud te, Patrone Magne, obsidem esse volo, fronte, qua res tuas consuesti, accipe: tuus enim profectò est; si vel te spectem, quo Poëseos in stadio, tanquam Acclamatore, bono meo fato, sum hactenus vsus, atque adeò (ni obstet reuerentia) Præceptore: vel me, qui, cum ex tuo sim grege, tibi, qui es Pastor, in primis deberi existimo, quidquid vnquam à tenuitate nostra proficiscetur. Vale. Perusiæ 28. Augusti, die Natali meo. 1603.*

HORATIVS Lombardellius

M. ANTONIO BONCIARIO S.



CVr meas ad te epiſtolas numero tres, duas benè longas, vnam breuiorem negligas, ignoro. Cui te illuſurum putas? ſi & ego ſilere incipio, vel totos tres annos deſiderabis, vt ſilentium abrumpam. Hæc quarta eſt, cui debes reſponſum. hic de Io:Baptiſtæ Lauri popularis tui elegantiſsima Aegyptiade, vt de Libro, qui ad Spiritum, verum introcludo iudicium. Adoleſcenti laudatiſsimæ indolis, & ingenij ad Poeticem facti oſtendes, cuius etiam beneuolentiam mihi retinebis, qui conciliaſti. Spennactius, an ſuam acceperis, noſſe cupit. Valeto. Senis 11. kal. Ianuarij 1604.

ORATIO LOMBARDELLI,

Ne la quarta Parte del Ragguaglio de gli Scrittori Spirituali.

GIo: Battiſta Lauro Perugino hà ſcritto in verſi heroici la vita di Santa Maria Egizziana, Poema diſtinto in tre Libri, ripieno di nobili, e bene inneſtati Epiſodi, fiorito di ſpiriti, ed armato di frezze. Piaceſſe al Signor' IDDIO, che tutti i Giouani ſtudioſi per ammaeſtrar ſe medeſimi, e gl'altri volgeſſero i loro ingegni, come fa queſto, à opere tali.

IO:

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI AEGYPTIADOS,

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

NE Solymæ deserta petat, MARIAMQ; tenebris
Eximat, insidijs Erebi Dux Zosimon vrget;
Nequicquam: festinanti Senior pede Diuam
Consequitur, varijsq; beat sermonibus aures,
Dum, Mundi qui fræna regant, caussasq; viarũ
Expedit, &, vitæ fuerit quæ summa, requirit.



ILIACVM Germen, Cælique adscripta maniplis
Femina, Iudæi non vltima gloria Regni,
Prima viam numeris ostendat in Aethera nostris.
Aspirent Superi, quorum sub iure frequentes
Abramidum tractus, Ægyptiaq; arua tenentur:
Non ego felici labentem flumine Nilum,
Imbre sub Aestiuo: clarũ non Mẽnona plectris,
Sole recens orto; redimitũ haud cornibus Apin;
Aut sistris refero cinctam resonantibus Isin:
Sed quam Cælicolæ egressam regione Canopi,
Puppe peregrinas nantem videre per vndas
In fines, Galilæa, tuos; Iordanis vt vdas
Tranarit digressa vias, seseq; recessu

Sedis inacceſſæ, nudoq; ſub ætheris axe
Abdiderit, ſceleri ereptos vbi duceret annos.
Tuq; adeò, quæ ſola hominē nigrantibus an-
Eripis, æterno fecundans ſæcula partu, (tris
VIRGO, faue cœptis, tua laus: te ſupplice vultu;
Te prece votiua exorat; tibi prima ſacratur
Linea, poſtremæ tibi clauditur orbita vitæ:
Tantus amor ſuperis animam redimire coronis.
ORBE ſub Eoo, Solymæa in mœnia vergens,
Silua frequens, ſanctæ cōiuncta crepidine ripæ,
Vicino alluitur fluuio; qui monte receptus,
Tranſmiſſus per operta ſoli, radicibus imis
Excipitur Libani, geminoſq. abſciſſus in amnes,
Vſque fluit; donec, riuis coëuntibus, vno
Arctatur gremio, dupliciq. è nomine nomen
Ior-danem recipit currentibus aureus vndis.
Intus odoratos educit in aëra conos
Pinus amica fretis, frondet procera Cupreſſus
Aemula Pyramidum, belli domitura furores
Fraxinus, apta oneri Palma, intactūq. veterno
Robur, & æquoreas Abies viſura procellas.
Nec verò Nemus in longum protenditur: ingens
Planicies poſt terga iacet: vix illa minutos
Emicat in fœtus, teneras vix educat herbas.
Solis ab adſpectu feruens, eademq; calentes
Imbribus vda ſinus: non illic vomere Bruma,
Autumnus pomis, violis Ver, frugibus Aeſtas
Noſcitur: hinc regio mutis animantibus orba
Squallet, & humanas excludit inhoſpita plātas.
Haſne olim quemquā veſtigia ferre per oras,
Egit amor? Pharias inter celeberrima Nymphas
Claruit vt quondam ſceleratæ Cypridis armis,
Effuſo teneras populata Cupidine venas:
Nunc longè caſtis æterni Pneumatis armis
Excita, cæleſti mentem radiata ſereno,
Illuſtrat Solymas æui matura latebras.
Huius vt egregiæ fluerent in ſæcula laudes,
Et totum caneret vox indefeſſa per Orbem:
Deterſas animæ labes, quas cœtibus olim
In medijs illex, atque inconſulta Libido
Intulit; vnde frequens poſt hac exēpla capeſſens
Poſte-

Posteritas, Ditis rictus eludat hiantes.
Illustrem senio quendam, canisq. verendum,
Nec per inaccessas metuentem vadere siluas
Rex Cæli excierat, mens huic insederat, omnes
Scrutari saltus, nemorumq. errare per vmbras:
Si qua latebrosæ cęlestia pignora valles
Occulerent. Iamq. euectus Iordanis ab vnda,
ZOSIMVS (hoc illi nomen) confinia Siluæ
Legerat appositæ: Cum formidabilis Orci
Arbiter obliquans oculos, qua præpete gressu
Carpit iter, trepidas Erebi suspirat ad arces;
Atq; ita, Me ferus iste, meosq. euertere honores
Apparat, & Fidei instimulat furor. hoc mihi bel
Ira ciet Superū: vsq; adeò immortalib⁹ actus (lū
Sæue Parens odijs in me, gemitumq. meorum
Armabis, nostri longum quæ iura Senatus
Seruarunt, semet scelerum dum fasce fatigant,
Et contage premunt alios, olidisq. profanant
Sordibus. In vetitos an nō satis iste Triumphos
Indignam Pelagen? non quæ tractare pudicos
Ausa pedes Domini, iusto licet increpet illam
Ore Simon? non innumeras, quas nō nisi fessus
Enumerem? placet huic etiam indulsisse calētes
Gymnadas, obscenisq, exercita ludicra mensis.
Esto. Poli (quāquā ô) Meretrix aspiret ad Axes:
Exuerit labes, Christo aspirante, nefandas:
Intrarit tacitas, me non prohibente, latebras:
Quid iuuat ignotis assuetam degere in oris
Ad Cæli reuocare diem? quo cognita Mundo
Aggeret, heu, nostris maiora pericula Regnis.
Non ita. Tartareæ vos hinc properate cateruæ
Fluminis ad ripas, Solymam quod circuit Vrbē:
Aereas accite acies, inde agmine facto
Siluarum prohibete aditu, quicumq; proterno
Audeat ire gradu, finem dedit ore loquendi,
Ac sceptro signauit iter. tunc Orbis opaci
Faucibus emergens, tenues exercitus auras
Occupat, & medias inter terramq., polumq.
Aduocat Asmodeus fraterna voce cohortes.
Protinus accinctæ facibus Phlegetōte refectis,
Obsedere nemus: puro sic melle liquentes

Irruat in cellas preciosi raptor honoris,
Cecropiæ stipantur Apes, portisq. malignis
Opponũt animas, veterẽq, animantur in hostẽ.
Iamq. Palæstinis propior fit Zosimus vmbris,
Iamq; pedes inferre parat: subito ecce tumultu
Silua fremit, rabiesq. armatæ inopina phalãgis
Frondibus erumpit; gradientemq. igne minaci
Turbat, & ab furuis lucorum ingressibus arcet.
Ille tamen pergit. sed enim concepta latentes
Asperat ira feras; te vi grauiore repellunt
Sancte senex: in te rapidæ plebs cruda Gehẽnæ
Grassatur, crebrisq. minis vix sufficis vnus.
Ergò animi dubius pressit vestigia, secum
Multa putans: ceu si motam pugnãtibus Austris
Viderit esse Ratem Dux; ambigit, atràne contra
Nubila, & aduersas ventosi fulguris iras
Tendat, & an pauidam referat naualibus Alnũ:
Attamen Arctoa sperans de parte salutem,
Acrius vrget aquas, & multo remige pontum
Verrit, & inuitis fertur trans æquora ventis.
Sic propè suppetias Regem dum poscit Olympi,
Et mouet arcanas voces; immanis eundi
Impetus increuit. Nec te, Pater Optime, vota
Præteriere Senis; sed quem Garganus adorat,
Conspicuũ iaculis, pulchroq. Adamãte rubentẽ
Accersis, Solymaq. hostes regione fugandos,
Edicis; cursu arrepto tecta ignea linquens,
Bisquinasq; plagas; qua flammea sidera flãmis
Fœta creat regio, & clypeis candentibus ardet,
Constitit, & tremulã iam iam victura senectam
Agmina, liuentes cælesti fulmine ad vmbras
Trudit, & Empyream remeat festiuus in Arcẽ.
Quã Lemurũ numerosa cohors! aut quale p an-
Murmur! vt æstiui cũ lux optanda sereni (ras
Desijt, ac pluuijs fecundior ingruit annus; (su
Grãdine inundat humus, rapido quæ cõcita lap-
Dissilit, & Baccho grauidas exterminat vmbras.
Horror abit siluis, quæ nil crudele minantes
Accepere Senem. Luci frondentis opacam
Explorat taciturnus humum; non abdita cæcis
Antra latent scrobibus, nõ longũ ducta per arcũ

Fron-

Frondea tecta virent, Nemoris prætermeat oras;
Bisdenosq; dies per inhospita tesqua, per amplū
Tendit iter spatium, campisq; patentibus errat.
Tandem è lōginquo species transmissa pauētes
Spargitur in visus; niueo fax debilis orbe
Redditur, & tremulæ caligat imagine formæ:
Suspensam tamen euariāt spectra obuia mentē:
An quæ sopitos sensus simulacra flagellant,
Hauserit, aut ægris quæ somnia fingit amaror.
Contraxere metum crines; transfusus in artus
Terror ijt: nostræ astutum vexilla salutis
Exerit, obstantesq. oculis fugere tenebræ. (stros,
Ecce procul tepidos Mulier spatiatur ad Au-
Tarda gradu, nullo velamine corpus amicta,
Nigrantes enecta genas: mensura comarum
Tenditur aure tenus; fusco vigor entheus ore
Diffluit, occultos animæ qui prodit honores.
Nūc protēsa manus, scelera impia defodit Orco,
Nunc iunctas referēs ad pectora, flebilis Astra
Suspicit, & patriū tacitè suspirat Olympum.
Continuò stupidas opplentia gaudia fibras
Dant studio feruere viæ: mora nulla coërcet:
Haurit anhelus iter, seniumq; imbelle fatigat
Impiger, & sterilem latè metitur arenam.
Nec minus, ætatis post lustra nouena peractæ,
Inspectus MARIAM recreat Pater. Ast vbi cursu
Sollicitum, seseq; gradu propiore petitam
Respicit; angustis qua faucibus area deses
Arctatur, nigræq. patent confinia terræ;
Molitur diuersa fugam: sic euolat Alnus
Ad volucres conuersa Notos, si limite Eoo
In suamet cernat ferri armamenta Carinam,
Hostilemq; putet. feruentius instat; at imas
Illa rapit suspensa vias. Concluditur arcto
Area longa sinu, scatebras quo deuius olim
Egerat allapsus per saxa rigentia torrens:
Nunc sterilis, nullaq. tumens vligine venas,
Peruia Phoebigenis extendit viscera flammis.
Huc vbi peruentū, paullū fuga forte remissa est.
Cum Pater. Ætherios auidū cognosse cliētes,
Atque ideò emensum Solymi tot iugera Regni,

Hic MARIE. Quãdo aũt te huc cęlestibus actũ
Auspicijs, manifesta fides: dum defluus orbem
Splẽdor habet, puroq. fauent Astra alma sereno.
Incipe, qui Mundo Reges, quã firma per Vrbes
Relligio, Fidei cui commendentur habenæ,
Et longum ignoti seriem mihi differe sæcli.
Qui nihil ancipiti poscentem voce moratus:
Narrat. Anastasium, cui cura excesse nefandis
Christiadas odijs, hostiliaq. arma fouere,
Post domitos bello Siculos, & Isaurica Regna,
Impensasq. auri turpi pro fœdere massas,
Iratos sensisse Polos, incendiaq. atri
Fulminis obscuris Orci expirasse sub vmbris.
Te pariter, primo sueras qui Solis in ortu
Pinguia lanigeras ad pascua ducere turmas,
Atq; sub occasu notis includere septis;
Vt rerum steteris solio, sceptrisq; verendus
Felix Cæsareo radiaueris vnus in ostro
Aequior Eunuchi, Iustine, peremptor Amantij.
Principe te, versi in melius Pietatis honores,
Hæreseon restincta lues, Fideiq. profundum
Vlcus te solo potuit regnante recidi,
Hinc plaga lætatur Syrię, ditionis Eoę (Idumes,
Regna, Tyrusq. fremunt; hinc crebrior incola
Atq; Caledonij tellus iam mitior orbis.
Tu fortes Hunnos, in prælia Bosphoron armas,
Prosternis Cabaden, populos tutaris Hiberos.
Felix Hormisdæ seclũ! cui nempe tot inter
Vndarum cumulos, Petrum, Cymbãq. petentes,
Cernere paciferam de Cælo labier Irin
Contigit. Adde ortum Scotorum finibus Astrũ,
Adscriptum Cęlis Astrum, te scilicet ingens
Brigida. Sed Thusci sors durior illa Ioannis;
Dum Theodorico mœstæ fera sceptra regenti
Italiæ, in longas legatus truditur oras
Cæsaris, iniusto pro fœdere desidis Arrij:
Quãuis eximium laudis per rura Corinthi (bũ
Reddat Equus, quẽ plenũ animos, sacroq. sup-
Pondere cõpressis nunquam conscendit habenis
Femina. Tu extremis quo floreat vsq; sub annis
Firma Fides, mundiq. plagas, ac littora victrix
Occu-

Occupet, hic precibus non indignabere fusis
Implorare Deum. Puppis quam plurima remis
Brachia nixa mouet (Mulier tūc excipit) vndas
Discutit, optataq. sedet pernicior acta:
Non secus æternas Oratio fertur in Arces,
Et Triados genua alta tenet; numerosior illam
Si remex agat, atq; hominum multo effluat ore.
Paret ab his Senior, sanctiq. vt Flaminis auram
Concepit, sese totis complexibus arctans
Sternitur; illa tuens, rubro quam limite partem
Oblinit, ad nostras remeat dum Cynthius oras;
Paullatim erigitur, mediasq. effertur in auras,
Inde immota manet. sic prima à sede reuulsa,
Orbe sub infanti suspenditur aëre Tellus,
Aeterni Genitoris opus. sic rore pudico
Quæ plantas Christi ablutas fragramine Nardi
Sparsit, & effusis tersit gemebunda capillis.
At Lemurū Princeps, medijs q tractibus errāt,
Tristè licet doleat, Nemoris patuisse latebras,
Desertosq. Agros, suaq. agmina passa repulsam,
Elusum Ditem, cassas euentibus artes,
Nec iam posse obito seniorem auertere campo:
Inuidia maiore calens: quo more Leones
Verbere se caudæ stimulant in bella ruentes,
Se se acuit, Fratremq. vocans, cui munia mentē
Flectere, & (heu pronā) trahere in cōuicia līguā.
Quāquā, inqt, plures conamina nostra p horas
Duci haud posse reor, vicinaq. numina pugnāti
Vel minimum nos vsq; iuuet; Pluto vnde rigorē
Mittat, nec pœnas prorsum patiamur inulti.
Aspicis, vt terra emineat, palmasq; supinet
Femina? vt incuruus senior tellure moretur?
Carpe viam pernix, nocituras excute vires.
Tu potes affixas templis, tacitumq. gementes,
Et tamen arcana prece pignora suspirantes
Arguere, immodico implerint ceu viscera Bac-
Tu potes īstabiles vndas dū calcat Olympi (cho:
Vindex, attonitis mirantum cordibus altos
Insinuare metus, turpe vt Phantasma, cauamq.
Corporis effigiem credant; tu doctus honorum
Frāgere iura, dolos serere, atq; odia aspera ferre:

Ten-

REVERENDISS. D.

NEAPOLIONI

COMITOLO,

PERVSIAE EPISCOPO.

IO: BAPTISTA

LAVRVS. S.



Xit in lucem, Pastor Amplissime, primus hic vigiliarum mearum fructus; te quidem non abnuente, me vero etiam exoptante; quid nì enim ego me prodam? tametsi longè diuerso consilio, ac pleriq; interpretaturi sunt; ambitiosè à me videlicet factum, qui nondum extra Adolescentiæ metas constitutus; qua ætate compluribus in eo scribendi genere pedem vixdum promouisse videri possum, de edendo cogitauerim. Parcant, obsecro, homines isti censuræ; nec me ante culpent, quàm consilij mei rationem inspexerint. Equidem illud Romani sapientis monitum, Agricolam penitus deperdere si quod semen inseuerit, minus excolat; ita olim religiosè sum complexus, vt siquid in me bonæ frugis Poëtarum lectione erat inspersum, emori minime paterer; quin potius enixè operam darem, quantum à grauioribus studijs vacare liceret, vt solerti sub-

actio-

ctione paullatim succresceret, meq; in spem messis vberioris, si qua vnquam, erigeret. Ea propter ex Alexandrini Clementis consilio Heliconem, & Citheronem deserens, Syonem inhabitans, Musas ipsas abire iubens; ac cælestes Mentes meorum laborum auspices inuocans, de DIVA MARIA AEGYPTIACA, *in quam peculiari affectu inde à pueritia exarsi, hanc opellam meditatus sum: quæ quãquam domi contineri poterat, ex vmbraculis tamen in Solem eo potissimum nomine emittitur; vt alieni iudicÿ exploratrix, atque internuntia, quid mihi ex huius generis scriptis posthac sperandũ sit, fideliter, liberè, apertè indicet: nec enim ego Suffenus, qui mihimet placeam: iudicium ergo, non plausum; licet expectare & hunc ab hominibus liceat, cum (quod aiebat Stratonicus) nullo constet impendio. Quod superest, fœtũ hunc, quem obseruantiæ meæ apud te, Patrone Magne, obsidem esse volo, fronte, qua res tuas consuesti, accipe: tuus enim profecto est; si vel te spectem, quo Poëseos in stadio, tanquam Acclamatore, bono meo fato, sum hactenus vsus, atque adeò (ni obstet reuerentia) Præceptore: vel me, qui, cum ex tuo sim grege, tibi, qui es Pastor, in primis deberi existimo, quidquid vnquam à tenuitate nostra proficiscetur. Vale. Perusiæ 28. Augusti, die Natali meo. 1603.*

HORATIVS Lombardellius

M. ANTONIO BONCIARIO S.



CVr meas ad te epistolas numero tres, duas benè longas, vnam breuiorem negligas, ignoro. Cui te illusurum putas? si & ego silere incipio, vel totos tres annos desiderabis, vt silentium abrumpam. Hæc quarta est, cui debes responsum. hic de Io:Baptistæ Lauri popularis tui elegantissima Aegyptiade, vt de Libro, qui ad Spiritum, verum introcludo iudicium. Adolescenti laudatissimæ indolis, & ingenij ad Poeticem facti ostendes, cuius etiam beneuolentiam mihi retinebis, qui conciliasti. Spennactius, an suam acceperis, nosse cupit. Valeto. Senis 11.kal. Ianuarij 1604.

ORATIO LOMBARDELLI,

Ne la quarta Parte del Ragguaglio de gli Scrittori Spirituali.

GIo: Battista Lauro Perugino hà scritto in versi heroici la vita di Santa Maria Egizziana, Poema distinto in tre Libri, ripieno di nobili, e bene innestati Episodi, fiorito di spiriti, ed armato di frezze. Piacesse al Signor' IDDIO, che tutti i Giouani studiosi per ammaestrar se medesimi, e gl'altri volgessero i loro ingegni, come fa questo, à opere tali.

10:

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI AEGYPTIADOS, LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

NE Solymæ deserta petat, MARIAMQ; tenebris
Eximat, insidijs Erebi Dux Zosimon vrget;
Nequicquam: festinanti Senior pede Diuam
Consequitur, varijsq; beat sermonibus aures,
Dum, Mundi qui fræna regant, caussasq; viarũ
Expedit, &, vitæ fuerit quæ summa, requirit.



NILIACVM Germen, Cælique adscripta maniplis
Femina, Iudæi non vltima gloria Regni,
Prima viam numeris ostendat in Aethera nostris.
Aspirent Superi, quorum sub iure frequentes
Abramidum tractus, Ægyptiaq; arua tenentur:
Non ego felici labentem flumine Nilum,
Imbre sub Aestiuo: clarũ non Mẽnona plectris,
Sole recens orto; redimitũ haud cornibus Apin;
Aut sistris refero cinctam resonantibus Isin:
Sed quam Cælicolæ egressam regione Canopi,
Puppe peregrinas nantem videre per vndas
In fines, Galilæa, tuos; Iordanis vt vdas
Tranarit digressa vias, sesèq; recessu

Sedis inaccessæ, nudoq; sub ætheris axe
Abdiderit, sceleri ereptos vbi duceret annos.
Tuq; adeò, quæ sola hominē nigrantibus an-
Eripis, æterno fecundans sæcula partu, (tris
VIRGO, faue cœptis, tua laus: te supplice vultu;
Te prece votiua exorat; tibi prima sacratur
Linea, postremæ tibi clauditur orbita vitæ:
Tantus amor superis animam redimire coronis.
ORBE sub Eoo, Solymæa in mœnia vergens,
Silua frequens, sanctæ cōiuncta crepidine ripæ,
Vicino alluitur fluuio; qui monte receptus,
Transmissus per operta soli, radicibus imis
Excipitur Libani, geminosq. abscissus in amnes,
Vsque fluit; donec, riuis coëuntibus, vno
Arctatur gremio, dupliciq. è nomine nomen
Ior-danem recipit currentibus aureus vndis.
Intus odoratos educit in aëra conos
Pinus amica fretis, frondet procera Cupressus
Aemula Pyramidum, belli domitura furores
Fraxinus, apta oneri Palma, intactūq. veterno
Robur, & æquoreas Abies visura procellas.
Nec verò Nemus in longum protenditur: ingens
Planicies post terga iacet: vix illa minutos
Emicat in fœtus, teneras vix educat herbas.
Solis ab adspectu feruens, eademq; calentes
Imbribus vda sinus: non illic vomere Bruma,
Autumnus pomis, violis Ver, frugibus Aestas
Noscitur: hinc regio mutis animantibus orba
Squallet, & humanas excludit inhospita plātas.
Hasne olim quemquā vestigia ferre per oras,
Egit amor? Pharias inter celeberrima Nymphas
Claruit vt quondam sceleratæ Cypridis armis,
Effuso teneras populata Cupidine venas:
Nunc longè castis æterni Pneumatis armis
Excita, cælesti mentem radiata sereno,
Illustrat Solymas æui matura latebras.
Huius vt egregiæ fluerent in sæcula laudes,
Et totum caneret vox indefessa per Orbem:
Detersas animæ labes, quas cœtibus olim
In medijs illex, atque inconsulta Libido
Intulit; vnde frequens post hac exēpla capessens
Poste-

Posteritas, Ditis rictus eludat hiantes.
Illustrem senio quendam, canisq. verendum,
Nec per inaccessas metuentem vadere siluas
Rex Cæli exciverat, mens huic insederat, omnes
Scrutari saltus, nemorumq. errare per vmbras:
Si qua latebrosæ cęlestia pignora valles
Occulerent. Iamq. euectus Iordanis ab vnda,
ZOSIMVS (hoc illi nomen) confinia Siluæ
Legerat appositæ: Cum formidabilis Orci
Arbiter obliquans oculos, qua præpete gressu
Carpit iter, trepidas Erebi suspirat ad arces;
Atq; ita, Me ferus iste, meosq. euertere honores
Apparat, & Fidei instimulat furor. hoc mihi bel
Ira ciet Superū: vsq; adeò immortalib⁹ actus(lū
Sæue Parens odijs in me, gemitumq. meorum
Armabis, nostri longum quæ iura Senatus
Seruarunt, semet scelerum dum fasce fatigant,
Et contage premunt alios, olidisq. profanant
Sordibus. In vetitos an nō satis iste Triumphos
Indignam Pelagen? non quæ tractare pudicos
Ausa pedes Domini, iusto licet increpet illam
Ore Simon? non innumeras, quas nō nisi fessus
Enumerem? placet huic etiam indulsisse calētes
Gymnadas, obscenisq, exercita ludicra mensis.
Esto. Poli (quāquā ô) Meretrix aspiret ad Axes:
Exuerit labes, Christo aspirante, nefandas:
Intrarit tacitas, me non prohibente, latebras:
Quid iuuat ignotis assuetam degere in oris
Ad Cæli reuocare diem? quo cognita Mundo
Aggeret, heu, nostris maiora pericula Regnis.
Non ita. Tartareæ vos hinc properate cateruæ
Fluminis ad ripas, Solymam quod circuit Vrbē:
Aereas accite acies, inde agmine facto
Siluarum prohibete aditu, quicumq; proteruo
Audeat ire gradu, finem dedit ore loquendi,
Ac sceptro signauit iter. tunc Orbis opaci
Faucibus emergens, tenues exercitus auras
Occupat, & medias inter terramq., polumq.
Aduocat Asmodeus fraterna voce cohortes.
Protinus accinctæ facibus Phlegetōte refectis,
Obsedere nemus: puro sic melle liquentes

Irruat in cellas preciosi raptor honoris,
Cecropiæ ſtipantur Apes, portiſq. malignis
Opponũt animas, vetereq; animantur in hoſtẽ.
Iamq. Palæſtinis propior fit Zoſimus vmbris,
Iamq; pedes inferre parat: ſubito ecce tumultu
Silua fremit, rabieſq. armatæ inopina phalãgis
Frondibus erumpit; gradientemq. igne minaci
Turbat, & ab furuis lucorum ingreſſibus arcet.
Ille tamen pergit. ſed enim concepta latentes
Aſperat ira feras; te vi grauiore repellunt
Sancte ſenex: in te rapidæ plebs cruda Gehẽnæ
Graſſatur, crebriſq. minis vix ſufficis vnus.
Ergò animi dubius preſſit veſtigia, ſecum
Multa putans: ceu ſi motam pugnãtibus Auſtris
Viderit eſſe Ratem Dux; ambigit, atràne contra
Nubila, & aduerſas ventoſi fulguris iras
Tendat, & an pauidam referat naualibus Alnũ:
Attamen Arctoa ſperans de parte ſalutem,
Acrius vrget aquas, & multo remige pontum
Verrit, & inuitis fertur trans æquora ventis.
Sic propè ſuppetias Regem dum poſcit Olympi,
Et mouet arcanas voces; immanis eundi
Impetus increuit. Nec te, Pater Optime, vota
Præteriere Senis; ſed quem Garganus adorat,
Conſpicuũ iaculis, pulchroq. Adamãte rubentẽ
Accerſis, Solymaq. hoſtes regione fugandos,
Edicis; curſu arrepto tecta ignea linquens,
Biſquinaſq; plagas; qua flammea ſidera flãmis
Fœta creat regio, & clypeis candentibus ardet,
Conſtitit, & tremulã iam iam victura ſenectam
Agmina, liuentes cæleſti fulmine ad vmbras
Trudit, & Empyream remeat feſtiuus in Arcẽ.
Quã Lemurũ numeroſa cohors! aut quale p au-
Murmur! vt æſtiui cũ lux optanda ſereni (ras
Deſijt, ac pluuijs fecundior ingruit annus; (ſu
Grãdine inundat humus, rapido quæ cõcita lap-
Diſſilit, & Baccho grauidas exterminat vmbras.
Horror abit ſiluis, quæ nil crudele minantes
Accepere Senem. Luci frondentis opacam
Explorat taciturnus humum; non abdita cæcis
Antra latent ſcrobibus, nõ longũ ducta per arcũ

Fron-

Frondea tecta virent, Nemoris prætermeat oras;
Bisdenosq; dies per inhospita tesqua, per amplū
Tendit iter spatium, campisq; patentibus errat.
Tandem è lōginquo species transmissa pauētes
Spargitur in visus; niueo fax debilis orbe
Redditur, & tremulæ caligat imagine formæ:
Suspensam tamen euariāt spectra obuia mentē:
An quæ sopitos sensus simulacra flagellant,
Hauserit, aut ægris quæ somnia fingit amaror.
Contraxere metum crines; transfusus in artus
Terror ijt: nostræ astutum vexilla salutis
Exerit, obstantesq. oculis fugere tenebræ. (stros,
Ecce procul tepidos Mulier spatiatur ad Au-
Tarda gradu, nullo velamine corpus amicta,
Nigrantes enecta genas: mensura comarum
Tenditur aure tenus; fusco vigor entheus ore
Diffluit, occultos animæ qui prodit honores.
Nūc protēsa manus, scelera impia defodit Orco,
Nunc iunctas referēs ad pectora, flebilis Astra
Suspicit, & patriū tacitè suspirat Olympum.
Continuò stupidas opplentia gaudia fibras
Dant studio feruere viæ: mora nulla coërcet:
Haurit anhelus iter, seniumq; imbelle fatigat
Impiger, & sterilem latè metitur arenam.
Nec minus, ætatis post lustra nouena peractæ,
Inspectus MARIAM recreat Pater. Ast vbi cursu
Sollicitum, seseq; gradu propiore petitam
Respicit; angustis qua faucibus area deses
Arctatur, nigræq. patent confinia terræ;
Molitur diuersa fugam: sic euolat Alnus
Ad volucres conuersa Notos, si limite Eoo
In suamet cernat ferri armamenta Carinam,
Hostilemq; putet. feruentius instat; at imas
Illa rapit suspensa vias. Concluditur arcto
Area longa sinu, scatebras quo deuius olim
Egerat allapsus per saxa rigentia torrens:
Nunc sterilis, nullaq. tumens vligine venas,
Peruia Phoebigenis extendit viscera flammis.
Huc vbi peruentū, paullū fuga forte remissa est.
Cum Pater. Ætherios auidū cognosse cliētes,
Atque ideò emensum Solymi tot iugera Regni,

Alloquio dignare, Pater. Quid scrupea gressu
Rura voras, placidoq. senem non ore tueris?
Desine, per Superos, cursu iam temet anhelo
Cõficere: Eumenidũ nõ me huc furiale venenũ,
Non Erebi fraudes, inimicàve adegit Enyo.
Quò raperis? saltem fugitiui lumina vultus
In me verte tui; sint ò mihi lumina tanti;
Quandò, vel in media campi regione, petentem
Optatæ refugis similagine pascere linguæ.
Talibus orabat, lacrymæq. per ora fluebant.
At cõtra Mulier. Ne, Zosime, perge sequendo
Femineos vexare pedes; muliebria dantur
Membra mihi, radios quæ non impune tuentur
Solis, & assuetam tenebris nigrescere noctem.
Tu potius, promissa tegunt quæ tegmina pallã,
Interius quæ corpus obit, concede roganti.
Sic vmbrata humeros, vestemq. accincta fluẽtẽ,
Adspectus patiar iam nil auersa viriles.
Obstupuit: grauidũq. gerẽs formidine pectus,
Pæne retro conuersus abit. Quid nouerit, inquit,
Femina, quale mihi nomen, cum lucis in auras
Me mea produxit genitrix? dum talia voluit;
Confestim sacro vibrata ab Flamine lampas
Multifida ambiguam radiorum aspergine mentẽ
Irrigat; agnouit manifesto numine ductam
Ignotum proprio se nomine compellasse,
Ergò superiectos armis deponit amictus,
Contentus secreta tegi, vultuq. reflexo,
Progenies vt bina Noæ, qui forte superstes
Molibus vndarum mersum noua sęcula in Orbẽ
Transtulit; aduersas clamydẽ proiecit in oras.
Arripit iniectam Mulier, tergoq. refusam
Ante sinus solido distringit fibulá nexu.
Tum iuuat exutam rugis aduertere frontem,
Inq; hominẽ vibrare oculos; suspensaq; mentis
Viscera lætitiæ dulci perfundere nimbo.
Inde ait. Et tantum potes exhausisse viarum
Me propter? quidquàmne æui peperere tenebrę,
Quod Solem meruisse queat? per deuia mundi
Degimus, & leges patimur telluris iniquas,
Immeritæ castas hominum spirare cohortes

Inter, & innocuas vitæ melioris Alumnas:
Donum grande nimis, communi vescier aura,
Cumq; Astris Phaëtonta pati. Nec plura, repēte
Infirmum curuare genu, capitisq; verendam
Caniciem prostrare solo, blandusq. precatu
Exorare tuam, tellus Galilæa, colonam;
Armet vt orantem signo, quo in Tartara tendit
Noctis amica phalanx. Nō segnior illa petētem
Summouet, ac supplex etiā procumbit: vterq.
Alterius deposcit opem, seseq. vicissim
Inuitant, verboq. simul de principe certant.
Haud secus Heroas, refici dum mitibus optant
Colloquijs, pugnasse putē, quib9 æthere ab alto
Duplice pro victu maiorem detulit escam
Coruus. adhuc anceps agitur lis, quis prior ore
Inchoet, & sancto recreet sermone secundum.
Cū generata Pharo. Tibi debitus, alme Sacerdos,
Vocis honos; qui liba Deo, dū mystica Patrum
Ornamenta geris, purgatis frugibus offers.
Quid maius? modico Regē concludere in Orbe,
Cui sedes angusta Polus, cuiq; omnia subsunt,
Et noua cælestes trahere ad spectacla maniplos.
Infra te Isacides, cedit tibi gloria magni
Moseos, & quorum mentes caligine septæ
Occiduas Legis Christum nouere per vmbras.
Ille sub hæc. Et te Superum præsentior Aura
Roborat, vnde animo, quæ nusquā videris, hę-
O Cęlo cognata Charis, nec fascibus vllis, (rent.
Nec secū qui sceptra coquat, benè digna locari.
Tu, Dea, fecundum guttis cælestibus antrum
Corporeæ regionis habes; nil fraudę maligna
Inficeris, turpesq; animę fugis auia sordes.
Ne, Mater, frustere preces: Crucis aurea per te
Signa salutifera firment mea pectora parma.
Victa rubet, paullūq. oculos demissa, modestę
Annuit, atq; senis vix tandem indulsit amori.
Protinus assurgunt; mox qua vicinior agger
Eminet, & totam latè despectat Eremum,
Et non ingratam sedem languentibus offert;
Exiguum meditantur iter: defessus euntes
Destituit, fluctuq. dies se condit Hibero.

Hic MARIE. Quãdo aũt te huc cęlestibus actũ
Auspicijs, manifesta fides: dum defluus orbem
Splẽdor habet, puroq. fauent Astra alma sereno.
Incipe, qui Mundo Reges, quã firma per Vrbes
Relligio, Fidei cui commendentur habenæ,
Et longum ignoti seriem mihi differe sæcli.
Qui nihil ancipiti poscentem voce moratus:
Narrat. Anastasium, cui cura exesse nefandis
Christiadas odijs, hostiliaq. arma fouere,
Post domitos bello Siculos, & Isaurica Regna,
Impensasq. auri turpi pro fœdere massas,
Iratos sensisse Polos, incendiaq. atri
Fulminis obscuris Orci expirasse sub vmbris.
Te pariter, primo fueras qui Solis in ortu
Pinguia lanigeras ad pascua ducere turmas,
Atq; sub occasu notis includere septis;
Vt rerum steteris solio, sceptrisq; verendus
Felix Cæsateo radiaueris vnus in ostro
Aequior Eunuchi, Iustine, peremptor Amantij.
Principe te, versi in melius Pietatis honores,
Hæreseon restincta lues, Fideiq. profundum
Vlcus te solo potuit regnante recidi,
Hinc plaga lætatur Syrię, ditionis Eoę (Idumes,
Regna, Tyrusq. fremunt;, hinc crebrior incola
Atq; Caledonij tellus iam mitior orbis.
Tu fortes Hunnos, in prælia Bosphoron armas,
Prosternis Cabaden, populos tutaris Hiberos.
Felix Hormisdæ seclũ! cui nempe tot inter
Vndarum cumulos, Pętrum, Cymbãq. petentes,
Cernere paciferam de Cælo labier Irin
Contigit. Adde ortum Scotorum finibus Astrũ,
Adscriptum Cęlis Astrum, te scilicet ingens
Brigida. Sed Thusci sors durior illa Ioannis;
Dum Theodorico mœstæ fera sceptra regenti
Italiæ, in longas legatus truditur oras
Cæsaris, iniusto pro fœdere dcfidis Arrij:
Quãuis eximium laudis per rura Corinthi (bũ
Reddat Equus, quẽ plenũ animos, sacroq. sup-
Pondere cõpressis nunquam conscendit habenis
Femina. Tu extremis quo floreat vsq; sub annis
Firma Fides, mundiq. plagas, ac litora victrix
Occu-

Occupet, hic precibus non indignabere fusis
Implorare Deum. Puppis quam plurima remis
Brachia nixa mouēt (Mulier tūc excipit) vndas
Discutit, oprataq. sedet pernicior acta:
Non secus æternas Oratio fertur in Arces,
Et Triados genua alta tenet; numerosior illam
Si remex agat, atq; hominum multo effluat ore.
Paret ab his Senior, sanctiq. vt Flaminis auram
Concepit, sese totis complexibus arctans
Sternitur; illa tuens, rubro quam limite partem
Oblinit, ad nostras remeat dum Cynthius oras;
Paullatim erigitur, mediasq. effertur in auras,
Inde immota manet. sic prima à sede reuulsa,
Orbe sub infanti suspenditur aëre Tellus,
Aeterni Genitoris opus. sic rore pudico
Quæ plantas Christi ablutas fragramine Nardi;
Sparsit, & effusis tersit gemebunda capillis.
At Lemurū Princeps, medijs q̃ tractibus errāt,
Tristè licet doleat, Nemoris patuisse latebras,
Desertosq. Agros, suaq. agmina passa repulsam,
Elusum Ditem, cassas euentibus artes,
Nec iam posse obito seniorem auertere campo:
Inuidia maiore calens: quo more Leones
Verbere se caudæ stimulant in bella ruentes,
Se se acuit, Fratremq. vocans, cui munia mentē
Flectere, &(heu pronā)trahere in cōuicia lĩguā.
Quãquã, inqt, plures conamina nostra p̃ horas
Duci haud posse reor, vicinaq. numina pugnāt;
Vel minimum nos vsq; iuuet; Pluto vnde rigorē
Mittat, nec pœnas prorsum patiamur inulti.
Aspicis, vt terra emineat, palmasq; supinet
Femina? vt incuruus senior tellure moretur?
Carpe viam pernix, nocituras excute vires.
Tu potes affixas templis, tacitumq. gementes,
Et tamen arcana prece pignora suspirantes
Arguere, immodico implerint ceu viscera Bac-
Tu potes ĩstabiles vndas dū calcat Olympi(cho:
Vindex, attonitis mirantum cordibus altos
Insinuare metus, turpe vt Phantasma, cauamq.
Corporis effigiem credant; tu doctus honorum
Frãgere iura, dolos serere, atq; odia aspera ferre:

Ten-

Tende truces animos, nec mollia tēpora differ.
His dictis, mentis fulmen non ocyus errat.
Itque, reditq; vias Erebi, rerumq; frequenti
Agmine, quotquot habent armamētaria Ditis,
Deligit immundū Calicē. Pauor ingemit intus,
Consiliumq, animi praeceps, linguęq. malignum
Virus, Tartareoq' latex libatus ab amni.
Namq; ferunt: postquā detrusas axe cohortes
Aëreæ obruerunt æterno carcere nubes;
Exclusumq. hominem Nemorū felicibus oris,
Olim autem vacuas rediturū in Principis Arces,
Sæuior excepit mundi plaga; nocte, dieq.
Seruantē memori Sathanam sub pectore vulnus
Extruxisse artes, & nomina mille nocendi
Germinis in magni exitium: sed ea inter amaros
Excudisse Scyphos, & pestiferos Crateras,
Aptos Eumenidum serere in præcordia pestes.
Hinc & qui Inuidiæ stimulis ignescit, & Iræ,
Quiq; tumet, miseroq. auri pallescit amore,
Quemq; iuuat rugis frons obsita, quiq; calescūt
Ventris ab ingluuie, fędoq. Cupidine feruent,
Ante nigram saniem, mōstrosaq. pocla biberūt.
Fit propior, pronumq senē furtim afflat, & atra
Proluit in patera: perlapsus ad intima inundat
Humor, & orantem exturbat, qui lumina tollēs
In MARIAM, extantēq. solo, nec labra mouētē,
Turbato trepidos in pectore concipit ictus,
Membraq. prærepto torpent defecta calore.
Tunc anceps dubio sensus sub corde recursat,
Aëreone sinu tenues obduxerit artus
Spiritus, horrendi specubus deductus Auerni,
Feminea ignarum tacitè qui eluderet vmbra.
Et secum. Quæ, Cælicolæ, funesta parantur
Monstra mihi? post implicitas, longasq. viarum
Ambages hæc parta quies? vt scilicet astu
Cingar, & in rabidum miserādus deferar hostē?
Ah quid, dum cursu fugientis concita feruet
Area, & adspectu se subtrahit inuida nostro,
Sufficitis vires, & nil obstante senecta,
Firmatis tremulā per crebra efflamina mētem?
Tunc tempus gressum cohibere, dolosq. paratos

Præ-

Præmonſtrare Polo, tonitru ſub ſidera miſſo.
Nunc iuxtim furui fæx deſpectiſſima Regni
Ore preces vomit, & ſedes ſuſpirat ademptas?
Sic miſer ad multam noctē trepidātior Agno
Fluctuat; vndoſo nutantem gurgite Petrum
Dixeris; & Mundo gaudet vaneſcere Lunam.
Viderat arcano curarum pondere preſſum
Nata Pharo, ſparſamq. ſenis per pectora nubē.
Ceu vitreas Sol trāſit aquas; nec clauſtra fluētis
Materiæ abrumpit, multo nec lumine frangit.
Tum pauidū dictis firmans. Nec te penes, inquit,
Tartarei vis vlla Ducis, nec te vlla furentum
Fax petit Eumenidum: mentis quin excutis vm-
Et reddis iam tute tibi? mortalia cerne (bras,
Membra: queunt longis obnoxia Solibus vri
Ventorum gelidis perculſa rigeſcere pennis;
Interius veros anima epotante dolores.
Sic dulces radios in te ſupremus Olympi
Rector agat, merſumq. nigra caligine Mundū,
Et crudas Erebi Legiones vſque gementem,
Cernere det, qualeſq. parent in prælia caſſes,
Quotq. plicent hominū, venātū more, maniplos.
Tātum effata. Sinus, humeros, vultūq. ſuperne
Quadrifido emunit ſigno; nouus inde referſit
Ora nitor, viuas iaculantur tempora flammas.
Moſen lucifluo credas à monte reuerſum:
Vſque adeò iubar irradiat: tunc ille reſudans
Epotos latices, inſertaq; ſemina culpæ,
Concidit in vultus; atq. hinc de plebe videtur
Cornutam faciem non agnoſcente beati
Principis; hinc gremio cū quis prœreptus anhelę
Doridos, aduerſi miſcent vbi fulgura venti,
Stat rationis inops; tandē vt lux reddita menti,
Proditaq. occultis defleuit crimina guttis;
Per rerū Dominū, per carnea vincula, queis ſe
Implicuit, cum ſiderea Genitoris ab Arce
Fluxit Virgineæ media inter clauſtra Puellæ,
Auſpice quo crudæ per tela algentia brumæ,
Perq; Cleonæos graderis vel nuda vapores:
Annorum ne conde moras, ignotaq. vitæ
Lumina; pande mihi, Quę ſis, qua duceris Vrbe,
Quid

Quid petis, & sedes tacitas quo Sole frequētas ?
Pande libens; tua laus agitur, Sator Optime, tuq.
Nosceris, vsq; tui latitās caligine Mundi. (hinc
Quæ diam secreta beat Sapientia mentem,
Diues inauratos operit quæ glęba fluores,
Vllàne venturis referent compendia damnis ?
Sed nec Fama nocens, doctusq. obtrudere palpū
Arguerit te laudis amor, Deus omnibus auctor,
Quo duce non notis plantas impressimus aruis :
Nec fallor; primę memini data signa senectæ.
Sexdenos Veris tererem cum forte recursus,
Dæmonis insidijs agitor; qui plurima dum Nōx
Incumbit terris, & habet mortalia Somnus;
Mentiti sanctos Superum de gente Ministros,
Vocibus his vsi mecum, Te, quem noua Cælo
Gloria sublimem cęlestibus euehit alis,
Venimus admonitum. Tēpus iam deniq; sacris
Insedeas claustris, ne te per rura vagantem
Spectet ab Axe Deus: veniet longinquior hospes
Te visum, innumeris qui dotibus aurea vincis
Sidera, quotq: obitu pariter lassantur, & ortu.
Ibam nocturno tumidus præcordia visu,
Lactabantq. rudem mendacia credita sensum.
Cum mihi (prò Superū pietas!) se obiecit eūti
Ignoti noua forma Viri, qui voce verenda
Orci aperit fraudes, verisq; hortatibus implet,
Tende aliò cursus, Patrēq. imitatus Abramum,
Orbe tuo egredere, & castam Iordanis ad oram
Siste pedem. Gens tecta cauo capita alta cucullo
Propter agit, quà Sol radijs nil iustius ambit.
De grege iam dicor: leges hinc nempe secutus
Non sine mente Dei nouus ad te deferor hospes.
Nam qua luce latēs Christus, frondētibus errat
Siluarum latebris, patiturq; dolosa profundi
Tentamenta Ducis; lapides vt vertat in escas,
Irruat in præceps, Princeps dominetur in oēs:
Abscedunt tectis Patres, cunctosq; peragrant
Circuitus, quotquot lambit vicinior amnis.
Lex ea digressis. Vni gradiantur, & instent
Vsque viæ: donec tergo deuectus Aselli,
Dum

Dum Pueri palmis, terramq. tapetibus ornant;
Illustrem Dominus Solymorū ascendat in Vrbē.
Ille hæc. Cunctatur Mulier, propiorq. coactę
Incipit, ima alto suspiria pectore ducens.
Et pudet infectos maculis tibi prodere mores,
Et, ne pollutus memoratis sordibus aër
In nubes cogat sese, turbetq. loquentem,
Extimeo: tuq; ipse oculis obtendere palmas
Cogeris, vitæ metuens opprobria nostræ:
Forsq. aliò captabis iter: ceu gramine campi,
Cum quis in obstantem vestigia torserit Hidrū,
Læuus abit, flexoq. pauet fera sibila gressu.
Si tamen emeriti dulce est cognoscere sæcli
Dedecus, vt nudam nuper tibi visere prōptum,
Omnigenum nudabo nefas, morumq. meorum
Dissidia, & scelerum fontes ab origine pandam.

Libri Primi Finis.



IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI AEGYPTIADOS,

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

FLorentes æui curſus, crimenq. peracti
Tẽporis, acceſſum ſacrã Salomonis in Vrbẽ,
Inuentæ celebrata Crucis myſteria, & almæ
Præſidium Dominæ, transmiſſaq. littora ſancti
Iordanis, tacitis & quidquid contigit annis,
Carmine perpetuo Nilo generata recenſet.



ONSEDERE loco, pronaq. vbi fronte parumper
Conticuit, ducto ſic longius inchoat orſu.
Quà ſeptemgeminos fluit erupturus in amnes
Largior, æſtiuo Nilus latè imbre tumeſcens:
Terra mihi gentile ſolum, ſpirabile Solis
Hic lumen, primaſq. hauſi miſeranda tenebras.
Nec verò annorum referens elementa meorũ,
Nutricum teneros luſus, dulceſq; Parentum
Blanditias, quæ biſſenis mihi cognita in annis,
Aegypti portenta canam, diraſq. Deorum
Effigies, Patrum cultis orientia in Hortis
Numina, & eductas Heroum ad ſidera Turres:
Sat primas æui curas; tunc ducere eburno
Pectine cæſariem, nodis innectere, in orbem
Colligere, intortam niueis aſpergere gemmis,
Infuſcare genas, inquirere quæ noua formam

Dam-

Damna iuuent: quęq; in mores infanda pudicos
Coniurant, vertuntq; animos. Duodenus adultę
Fluxerat Autumnus: patriaq., domoq. relictis,
Adueni; Emathij quà stirps generosa Philippi
Condita marmoreo iacuit post fata sepulcro.
Sola quidem, multo at Veneris deducta paratu:
Munit iter vinclis insana Licentia ruptis,
Fertq. faces impurus Amor, Petulantia circum
Errat, & effusi Risus: tunc perdita, & amens
Incustoditi iura exsoluisse pudoris, (ætas
Et memini, & meminisse pudet. Quæ mollior
Patrarit, cæcis iam peruia facta ruinis:
Quis fando plenos oculis non exprimat imbres?
Exsequar illa tamen; quāquā meminisse. latētes
Mēs abit in lacrymas, & pectora mæror acerbat.
Quàm fera nox animo, quàm nil iucūdius illa
Luce mihi; qua Virgineas calcasse coronas.
Atq; Cupidineis potui dare colla catenis!
Ex illo crebris indicere ludicra mensis,
Inq; iocos laxare dies, nimiumq. proteruis
Ebria delicijs, lusus geminare procaces
Occepi: non muneribus ducebar opimis
In Venerē; Veneris merces vel magna, voluptas,
Et geminādus amor: mētisq. infra atria nostræ
Omnis gazarum penitus subsederat ardor.
Quin ego sæpe hominū vel prouida corda coëgi
Incestare Polos, sopitaq. pectora in ignes
Arrexi, nec cura animo: nam sponte ferebar
In luxus, sensumq. malis excusserat vsus.
Nec mihi quis Pelagē, periturę aut Thaidis acta
Præferat, aut sacris quæ furtim elapsa latebris,
Indulsit ganeis, donec Pater excitus Abram
Militis effigiem mentitus, & ora procantis,
Rursus in antiquæ claustris conclusit Eremi.
Iamq. recensitos vltra ter quinq; Decembres
Exierat Titan: & adhuc sine fine fruebar
Illecebris, turpesq; trahens ingloria noctes,
Ingenti Macedum maculaneram crimine terram.
Fors etiam sensere nouam tecta hospita pestē,
Et populi timuere luem, propiusq. periclo
Ad Superos fudere preces, ne impune vagari

Talia

Talia Niliacas paterentur monstra per Vrbes,
Areret fons iste mali, siue acta Getarum
Trās scopulos, sparsum maculis traduceret ęquū,
Ingenio peritura loci. Non irrita voces
Detulit aura tuas, Vrbs nostro infecta veneno;
Ante vtinam tales fudisses ore querelas,
Addictam Stygijs quæ me rapuere cauernis.
Tempus erat, cum vicinū properaret in æquor
Latè hominū conferta manus, quos humida Nili
Claustra tenēt, latè aut nimis exhausta Syene
Ignibus: ardet iter, ruit indiscreta iuuentus
Oblonga ad talos spectanda in veste, lacertis
Taurinam pellem, dextraq. hastilia gestans;
Omnibus in vultu Pietas: iam scanditur Alnus,
Et medio fertur Zephiris spirantibus alto.
Parte alia crebras alij densare biremes
Ad littus, mistisq. sinus onerare maniplis.
Obstupui, atque adeò rerum studiosa nouarum
Appropior Iuueni. Dic ò, quid tantus ad vndā
Concursus? quò terrarum gens confluit istæc?
Ille autem. Sacras Solymorum tendit ad Arces,
Spectet vt inclusum gēmis venerabile Lignum,
Christi illustre decus, cuius sollemne tropheum
Proxima Luna refert: si suaserit ire voluntas,
(Tunc ego) composita reris me puppe receptēt?
Donetur merito, subdit, si Nauita naulo,
Has porrò tranabis aquas. Mihi munera nulla,
Nulla mihi argenti vis est: sed certus eundi
Impetus expositum iam destinat ire per æquor.
Ibo audax, & si rerum ferar indiga, & expers,
Haud expers tamen ibo mei. Subrisit: at ipsa
Vsque furens, Pinum gelidas tum forte parantē
Nereos ire vias, conscendi: interq. inopinas,
Sicut eram malesana, procax, elumbis, & illex,
Nexa comas violis, fucato splendida cultu,
Emicui Iuuenum, portētum immane, cohortes.
Hic ego quas scelerū facies, quantūq. per oēs
Conflarim miserāda nefas, quis carmine digno
Explicet? incesta potuin Mare findere puppi,
Perq. profanatas errare procacius vndas?
Continuitq. manum Genitor, ne cælitus ignem
In

In fontem iaceret; ne venti aduersa frementes,
Vrgerent fessas in saxa latentia tonsas?
Pro Pietas? deſæuit hiems per cærula, Ionas
Dum dicto parere negat, Monstriq. reclusis
Faucibus hauritur: liquidum dū Legifer Heros
Currit iter, Rubriq. Maris curuatur vtrinq; (ueo.
Lympha fugax, medio Pharaō iacet obrutus al-
Ast ego contēptrix Superū, fax subdola amoris,
Quæq. meos comites sub iniquę Cypridos arma
Hostis amica adigo, non deturbata ceruchis
Pisce voror, reflua non obruor æquoris vnda.
Sed tutam, nulloq. Aquilonum turbine raptam,
Emensam placidi terga inconcussa profundi,
Optato exponit Ratis imperterrita portu.
Iam tractus, Iudæa, tuos, Solymeq. legebam
Rura plagæ, magno Iuuenum circumdata cœtu:
Eoum qualis Phœnix dum migrat in orbem,
Pone Auium grex magnus abit: cū protinus om-
In partes rapitur varias, & me vagus vnā (nis
Deserit. Agnosco subiti quæ caussa recessus:
Plurima nam pubes diuerso ex orbe profecta,
Puluere sparsa caput, ieiuno pallida vultu,
Supplex æterni Tumulum Soteris adibat,
Sed mens cæca animæ, scelerumq. infusa p artus
Semina, iamq. calens media de puppe libido
Præstinxere oculos, nec rem nisi simplice sensu
Tunc bibo. Digressos petulāti plena cachinno
Prosequor: Innumeras nō est amor ire per Arces
Vrbis Idumæę, non aurea visere Diuum
Limina, & effracti vestigia peruia Templi,
Non muros toties obitos, totiesq. renatos,
Tecta alia, atque alias vestigo sedula turmas.
Nec labor; aspirant votis Phlegetontia nostris
Numina, & occurrūt passim, quos labe nefanda
Polluere, & solito placet eneruare veneno.
Hic etiam quanto temerauimus hospita luxu
Mœnia? quot, quales animorū euertimus aras?
Hinc (merces speranda reis) pro talibus ausis
Flos Vatum, Regum Princeps, terrorq. Gigantū
A Saule infernam qua pellere suetus Erynnin,
Ad Citharam palmas iterum retulisset eandem,
Pel-

Pelleret vt patria scelus hoc quanto ocyus Vrbe:
Ni Pater omnipotens, cuius clementia cunctos
Didita per populos, crimen quodcūq. superstat,
Frenasset Regem, melioraq. fata parasset.
Festa dies aderat, solitoq. illustrius vndis (quo
Sol caput extulerat: mihi cum ruere agmine ma-
Visa acies hominum, non densius aëre brumæ,
Lapsa cadunt folia, & sedem concedere in vnā.
Constantiniadum moles operosa refulget
Vrbis in amplexu, centenis nixa columnis.
Huc gens tota fluit, feruent vaga compita, puluis
Fuscat nube vias, & gressu tardat euntes.
Ire iuuat: prius extantes in vertice cirri
Mista rosis vnguenta bibunt, sparguntur odoro
Nectare, & effuso tenduntur syrmate vestes.
Quaq; superfusum multa caligine vulgus
Adfremit, ac ritu vndarum, cum nubilus Auster
Insultat pelago, sine more vrgetur, & vrget,
Irruo. Quæ nostro poterat par ire furori
Eumenis? āctа locū gens dat, sed & inter eundū
Pacem oculis, bellūq gerens, concludere furtim
Ardebam teneras Cypræa in vincula mentes.
Ast aditu prohibet flammas, animamq. tuetur
Cura vigil, nostroq. timens captiua subesse
Imperio, huc propius petulantē impellit, & illuc.
Ventum erat ad limen Gelidā porta aurea Calpē
Spectat, inocciduis Domini circūlita signis, (uis
Crux hinc, Crux illinc, geminis ea symbola val-
Præradiant: iā Tēpla patent, turbāq. frequentē
Expectant; stat densa phalāx, & pressa, premēsq.
Angitur, atq; auido semet feruore fatigat.
Irrumpit tandem, magnoq. effusa tumultu
Plebs natat in templo, pugnatàq. gaudia carpit.
Vt trabe multiplici cum crassa exire vetantur
Flumina, ventre tumēt, donec superātibus vndis,
Oppositas vincunt moles, camposq. pererrant.
At non immistam populis, aliosq. secutam
Accipit ampla Dom⁹. quin vix pede lābere limē
Aggressam tacitè vis improuisa coërcet,
Accessumq. negat. Quid tum? viridisne iuuente
Robur hebet? crebra comitū nū fracta procella,
Spe-

Speratis mea Cymba nequit succedere arenis ?
Ergò sacros aditus iterumq., iterumq. retento,
Postibus intactis iterumq., iterumq. repellor.
Quoq. magis fusæ coëunt in pectora vires,
Inq. fores accensa feror, violentior insto;
Hoc magis excludor. Retrò sic ire Magistrum
Defunctas Nereo conantem trudere classes
In portus, à fronte minax sæpe impulit Eurus.
Quid facerē? cedo in partē, quādo intima sāguis
Sauciat, & mentem nec opinus cōcutit horror.
Dū vagor adspectu, nū quis me forte retrusam
Eludat, rerum facies occurrit vtrinq;
Bina, duplex Paries vasti latera vtraque Templi
Ambit, quem quondam radiantem mille figuris
Artificum duxere manus, operumq. sacrorum
Impressere notas. Animi componere fluctus
Posse, mihi res visa satis; propiore sinistrum
Planta adeo latus, & picturæ lumine pascor.
Hac Puer Abramides Genitoris iussa capessit
Impiger, & gladium manibus, flāmamq. rogalē
Gestat ouans, & fasce humeros oneratus acerno,
Festinat celsum montis superare cacumen.
Præcipit hic senior Natum subsistere, onusq.
Ponere, qui rudibus confestim Altaria saxis
Cōstruit, inde struem lignorū imponit, & addit
Isacon, ambobus vinctum post terga lacertis.
Extendensq, manum, nulla formidine ferrum
Stringit, iamq. piæ solamen dulce senectæ
Immolet, & Gnati caros transuerberet artus;
Ni facer ætheria dilapsus ab Arce Minister
Arceat, & clausum arboribus pone Arietis albi
Ostendat vellus, prima pro cæde litandum.
Illic Hebræos, Chananææ insignia pugnæ
Dum referunt, timor inuadit, pars tabe furenti
Occidit; ignitos pars frustra summouet angues:
Dux tamen, extremam Populo exorante salutē,
Castrorum in medio concretum ex ære Cerastē
Suspendit longo, qui finderet aëra, conto.
Hinc iussas acies oculos huc tollere, virus
Deserit, & fluidis abscedunt vlcera membris.
Parte alia duplices inimica fronte phalanges
Efful-

Partem infert Ædi, recipit Roma inclyta partē.
Sic ducebam oculos; subitus cū pectora terror
Occupat, accessus caussam, pia signa, Crucemq.
Insinuans: animæ in tacitū penetrale receptus,
Elicit arcanos gemitus, animamq. nocentem
Arguit. Intrabis culparum arguta nouatrix?
Intrabis tandem? nec te scelus, atraq. turbant
Crimina, tot, tantisq. hominum ditata ruinis?
Ergò affixa malo, stolidæq; incendia mentis
Vsq; fouens, fœdis venerandā gressibus Aedem
Attentare parâs? te vox saltem illa superni
Numinis admoneat, qua quondā Monte nitenti
Spinoso inuolitans Mosen longè arcuit igni,
Pone pedum soleas, quā calcas, enthea terra est.
Tantū hęc. Actutū excutitur despecta malorū
Congeries, quodcumq. actis peccamen in annis
Admissum, & prisci occurrunt discrimina mor-
Erupere genis lacrymæ, crimenq solutis (bi.
Fassa comis, geminas laxaui in verbera palmas,
Et pectus mista plangens furibunda querela,
Quà portæ conuexa super de marmore viuo
Concauus Orbis adest, vbi splēdet Virginis almę
Dulce puerperium, sustollo lumina, & vndas
Corde vomens, tales effundo pectore voces.
Alma Parens, quam nec primæ contagia labis
Ante ortus tetigere diem; nec gaudia postquam
Luminis hausisti, macularunt crimina tædę;
Indulge miseræ veniam, quæ conscia culpæ,
Digna Gomorræas dudum bibere ore fauillas;
Si ad vultus, Regina, tuos accedo, tuiq.
Voce vel impura decus implorare fauoris
Haud vereor. Parce, o sæcli spes fida nocentis,
Nèue oculos auersa pios mihi deme, proteruis
Quamuis hisce oculis specteris; fasq., bonumq.
Id licet exposcat. maculosæ gentis inani
Obsequio tumeant, qui pallent crimine, quiq;
Virginea gaudent animam vinxisse corolla,
Virgineis pariter cultoribus vsque fruantur.
Si verax tamen has olim descendit in aures
Fama, tui venisse vteri sub claustra Tonantem,
Labentem miseratum Orbem, subijsse labores

Insuetos, duroq. affixum brachia malo
Puram animam medijs in fontibus expirasse,
Sontibus immeritam pareret qui nempe medelã
Morte sua, meritoq. reos arceret Auerno,
Da, Virgo, talem Natum quæ digna reperta es
Ingrato donasse Orbi, da posse referre, (aram
Quod peperit mihi morte bonũ. Tibi pectoris
Deuoueo, ritusq. pios imitata regentum,
Cum puppim emotæ certant sorbere procellæ,
Vota ferunt, pictasq. parant post vota tabellas:
Emersa è scelerum fluctu, tacitaq. repulsa
Libera, marmoreæ radiabit imagine formæ
Hæc facies, tabulasq. dabit vox ista loquaces.
Tu modo ne sanctis exclude à postibus, illud,
Illud ego vt Lignum spectẽ, quo nostra propago
Ridet tartareum, iam non captiua, Tyrannum.
Da faciles aditus: etenim si plena sui mens
Vel minimum se posse putat, non vllius vnquã
Inquinet attactu sceleris, non crimine posthac
Polluar: extremo inijcimus iam vincla pudori,
Et fidam extremi partem promittimus æui.
Finieram. Trepidam penetrãt cœlestia mentẽ
Robora: continuò Fidei succensa calore,
Speq. piæ Genitricis ouans, vestigia raptim
Ad vetitum refero limen, stantemq. cateruam
Oppleo: dumq. imo sub pectore spesq., metusq.
Concursant, tandem, vi nulla obstante, fremẽtes
Transgredior turmas, dubitataq. tẽpla subintro.
Quid mihi tunc animi? quã lęto in corde vo-
Speratis hæsisse locis? ne gaudia confer (luptas
Illius, ipsa inter quæ murmura conuiuarum
Haud verita est Christi vestigia tangere dextra,
Impuramq. olim summittere ad oscula linguã,
Quamquam animi tunc pura; ergo introgressa
Vsque rubescenti defixi lumina Ligno; (cruore
Circumstant aræ centum, funalia centum
Fixa tholis, Mons abscissus, fractiq. molares,
Ac Domini respersa pijs sudoribus arma,
Vtq. oculis satis indultum, mentemq. capaci
Luce explesse datum, pacem, veniamq. rogãtes,
Mille verecundis affiximus oscula saxis,
Atq;

Atque exorata lentè decessimus Aula.
Tollitur extemplo MARIAE ꝓspectus in ora,
Ore autem. Quas ah! grates, aut quale rependā
Pectoris obsequiū, meriti quod pandat abunde
Pondera? tu vetitas aperis mitissima valuas,
Et das siderei victricia signa tueri
Principis, atque animæ sperata pace potiri?
Quā dedimus dignare animā; tibi colligit auras.
Dirige tu dubiam, venientia tempora vitæ
Instrue, venturis viuat quo dignius annis.
Hæc vbi dicta: leues subito resoluta per auras
Vox sonat. Humentes i trans Iordanis arenas;
Hic tibi tuta quies, & summi terminus æui.
Nec plura. Implorāsq. iterū per vota benignā
Parthenicē, gressum ad iussam cito molior vndā.
Nec deest, conspicuo nudatam tegmine, palla.
Simplice contentam, largæ qui munere dextræ
Dignetur, gestansq. manu tria liba, Syonem
Desero, & optati structam propè littora Ponti
Ædem adeo. Interea Sol occidit, altaq. montes
Vmbra tenet; saxo ingredior fundata vetusto
Templa, & ad ignotam procedo Numinis aram.
Quā super: Eximiū fluuio radiare IOANNEM,
Rore leui, timidè Christi sacra mēbra rigantem
Intueor; iuuenumq. choros hinc inde gerentū
Lintea; demissam cælesti sede Columbam,
Æternum magni testantem Pignus Olympi.
Sternor humi, teq. ore pio, Ter Maxime Vatū
Deprecor, assistas operi, meaq. æthere ab alto
Orsa iuues. Sed stellanti Nox ardet in vmbra,
Meq. sopor placidis fessam complectitur alis.
Iam reserata dies, somnūq. à mente fugaram.
Illic multiplicis consueta piacula noxæ
Concipio, lymphisq; manus, atq; ora refundens.
Attactu quas ipse suo sacrauit Iesus,
Antiquam celebro Patrum da more Synaxim.
Mox flumen, salebrasq. loci transuecta; maligna
Qua sola, & humanæ renuūt saxa aspera plātæ,
Deferor, & cæcæ fugiens discordia turbę
Agmina, inaccessi formidine perfruor orbis.
Atq; hic orta Pharo, facto iam fine, quiesset;

Ni Pater: Imo agedũ, ne, quę tibi cũq. superſunt
Nube tegas; dulce emenſum memorare laborũ
Pondus, & exacti feriem percurrere fili.
Illa autẽ: Innumeras, lingua, exordire q̃relas,
Lingua, meos caſus, & quot prope cõdita portu,
Pertulerim fluctus, feralibus incipe dictis,
Phœbe, quaterdecies ſtellantia templa rotaſti
Septenos ſupra curſus; ex quo Vrbe relicta
Dauidis, hos colimus, nullo infeſtante, receſſus,
Nullo, inquã, infeſtãte hominũ; quãdo omnis ab (Orco
Exorta in me tẽpeſtas, hoc fonte dolorum
Triſte fluẽs numerus. Ter ſenos torta per annos
Plus minus, his memini: quantũ viciſſe pericli
Auſpice Chriſtipara, quales ſuperaſſe recordor
Dæmonis aſſultus; hinc accipe. Sæpius ægrum
Pectus, & exhauſtum lacrymis ſtringebat edẽdi
Acer amor: toſtas Cereris cum dentibus eſcas
Attererem, ſubito laxi ludibria ventris
Surgebant animo, quod terra, quod educat aẽr,
Quod Nilus, quoſcũq. Deos Ægyptus honorat;
Adde merum Meroes, Mareotidis adde falernũ,
Cæci luxuriem Bacchi, precioſaq. mundi
Fercula, queis olim laſciua licentius ætas
Diffluxit; quæ quando loci prohibebat egeſtas,
Pallebam, maciemq. anima interiore coquebã:
Sæpe leues Citharas, ſpirantia carmina, amãtũ
Iurgia, molitas fraudes, reſolutaq; in ignem
Viſcera, & effuſas in mollia gaudia noctes
Inſinuans, mæſtam iam non repetenda Libido
Torquebat lentè, vitæq. in dura trahebat
Tædia. Quid paſſas nocturna per otia pugnas,
Iniectoſq metus referam? me tardus Hibero
Deſerat ante dies, quã monſtra in lurida verſos
Enumerem Lemures, quã ſpectra minãtia cędẽ,
Inflictas Erebi pœnas, promiſſaq; demum
Funera. Eremicolæ quæ nuſquã hauſere priores.
Me tamen, & vulſi penitus ſolatia morbi,
Verberibuſq; admiſta pijs lamenta tegebant,
Et quæ, deuotos VIRGO haud fruſtrata precat⁹,
Munifico ſpargit languentia pectora nimbo.
Hinc clades inter, vibrataq. tela profundis

Fra-

Fratribus, Angelicis incincta cohortibus, altis
Visa exisse Polis, & me Mundi ima tenentem,
Despectamq. vltrò sanctis animasse loquelis.
Fide animo, victrix tandem ditabere Auerni
Exsuuijs, meritasq. dabūt tibi Tartara palmas.
Perfer, & obdura: cælestis semita in arctum
Tendit, & angustus patitur vim limes Olympi.
His ego dum versor vicibus, transmissaq. vitę
Tempora purgata cordis statione retracto,
Curarum extremas rediens Sol attulit horas.
Ex illo, hinc alio tristes abiere tenebræ,
Nec defæcatum violare hunc aëra fœdę
Ditigenum potuere manus; vidi ipsa rebelles
Irrita conari, vidi ipsa immanibus Hidris
Ardere, ac tremulis iræ incandescere flammis,
Vidi etiam admoto procul ablegata flagello
Bella, odia, & Stygij nigrantia fulmina regni,
Et castos Superum post hic habitasse maniplos:
Qui sceleris puram, functāq. laboribus Orci,
Sæpe sacras secum duxere per ætheris oras,
Et patrij dederunt commercia noscere Cæli.
O memores longum luces, albisq. notandæ
Velleribus, quibus Astriferas super edita moles,
Aspexi, Chaldæa olim prope flumina quidquid
Captiuus cecinit perplexo carmine Vates;
Quidquid & Aegęo premitur qua proxima Nereo
Pathmos, inexplicitus fertur cecinisse Ioannes.
Sed summo laus summa Patri, qui sæpe potentes
Dignatur solio, interea non despicit Orbis
Quisquilias: quo more suos Sol arduus ignes
Æquè pauperibus donat, locupletibus æquè.
Desierat iā plura loqui. Tamē vnde tot annis
Excepit Senior, frugum tibi copia? & vnde
Vel leue nudatos tegmen contexuit artus?
Illud idem, illa refert, quo liquimus alta Syonis
Mœnia, & irriguas Iordanis obiuimus vndas,
Temporis enectum vitio, nimiaq. senecta
Deciduum, tenues abijt velamen in auras.
Crebrius hinc tactum glaciali frigore corpus,
Grandineq., & crudo pluuiarum algore petitū,
Et Canis Icarij torrentia spicula passum,

Heu quot sustinuit, quã magna incõmoda? quot
Induit in facies? posses modo dicere anheli (se
Effigiem scopuli, refluo cum tunditur æstu
Aequoris hyblæę similem modo dicere ceræ,
Quæ perit, ardenti cum ponitur obuia Soli.
At mihi quas escas dederat pia dextra, diurno,
Nocturnoq. gelu poterant quę attraxe perennẽ
Duritiem, denos septem per Veris honores
Vixere, inde herbis, quę cãpis hisce virescunt,
Vescebar: sed enim veteres lapsusq., nefasq.,
Corde reuoluenti, lacrymisq. piare volenti
Non vllæ cordi clamydes, non vlla superbæ (est,
Gaudia erãt mẽsę, sed quo calet omne, qđ vsquã
Desuper infusum velabat pectora VERBVM,
Fecundoq. animam satiabat nectaris imbre.
Quis dubitet? nostri vera hæc sententia Regis,
Haud tostae tantum spirant munimine frugis
Mortales, certum robur, vitamq. ministrat
Sermo Dei, dulcesq. epulas imitatur Olympi,
Quæ Israëligenas olim pauere cohortes.
Hactenus annorum seriem memorasse meorũ
Sit satis, & fessæ tenuis si gratia linguæ
Debetur, summo pro me pia vota Parenti
Offer, Auernali meritam ne destinet igni.
Finis erat fandi: porrecta fronte Sacerdos
Obstupet infusos rores, concessaq. ab alto
Munera, tum passis suspectans æthera palmis,
Aeternas, inquit, grates, placidissime Regum
Reddo, Christe tibi, qui quos largiris honores
Huic, quæ in Cælicolum se conspirasse fatetur
Dedecus, educis tenebris, atq; asseris Orbi,
Me præsente, tuis quo scilicet alter in aris
Patri pacificas non segnior obtulit escas.
At te, sic subdit Mulier, per numina Cęli
Obtestor, per si quis dictis fors penes istam
Caniciem mihi restat honos; ne, deprecor, vni
Dicta tibi, cures hominum demittere in aures.
Donec se humanis latebris, & compede viua
Eximat, & patrios repetat mens libera campos.
I felix, Ariesq. nouis vbi cornibus annum
Extulerit, mensesq; nouo Phaëtonte redibunt,
Huc

Huc adsis, mistoq; iterum sermone fruemur.
Ante peto, simul ac cineres, & nota recurrent
Tempora, quæ magni renouant ieiunia Christi,
Ne superes Iordanis aquas: verum ipsa facultas
Longe aberit, licet ipse velis; sed vespere sero
Flos Patris ætherij cum passus adorea liba
Vertier in se se, conclusum pyxide corpus
Adfer, vt optatæ celebrem conuiuia cenæ.
Namq; per hoc æui; vastis quo viximus agris,
Sinceram Domini nequicquam optauimus escã.
Vltra Iordanis ripas absiste moueri,
Ipsa adero. Iam vade alacer, votumq. volentis
Corde exire veta, sic in te certa bonorum
Dona fluant, sperentq. suum te sidera ciuem.
Tantũ effata, atque in verbo vestigia torquẽs;
In diuersa abijt: demissus in ora recumbit
Zosimus, & pressæ lambit sola feruida terræ,
Protinus abscedit, sanctamq. remensus Eremũ,
Se lætum socijs comitem redeuntibus addit:
Quos demum reduces sperata in tecta receptos,
Sacra salutiferæ recreant sollemnia mensæ.

Libri Secundi Finis.



IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI AEGYPTIADOS, LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

Zosimon inuadit Febris, qua liber, ad vndas
Procedit, vitreo defert sub carcere Christũ,
Cuius vbi MARIE similagine pasta, quieto
Immoritur letho, Cæli supera ardua scandens.
Arua Senex relegit, fusum tellure cadauer
Componit tumulo, nomenq; euulgat in Orbem.

INTEREA solitas versatilis expedit anni
Menstrua Luna moras, orditur & ipse labores
Phœbus ab axe nouos, quo florea nascitur Orbi
Temperies, verniq. palam referantur honores.
Annuus ordo redit, redeunt cum Sole reuerso,
Christiadum de more, dies, quos ore sereno,
Pulueris iniecti auspicio, pulcherrima rerum
Sobrietas auidis ridens complectitur vlnis,
Sobrietas, qua criminibus se se expiat atris
Turbida vis animæ, qua luxu effusa domantur
Viscera, qua celebri splendent Ieiunia cultu.
Ecce tenebrosis Erebi festinat ab antris
Dira lues, nigro FEBRIS circumdata amictu,
Luce oculos perfusa graui, feruore maligno
Funereum succensa caput, stat frigida circum
Cæsaries, latè glacialibus obsita nimbis.
Dextram frigus iners, læuã grauat ignea cuspis

Lu-

Luctificosq; Metus, Lethumq. immane, seueras
Dat Pluto comites. Illam iubet ire silentes
Inter Claustricolas, & te peruadere furtim
Sancte Senex, qui lethali formidine torpens,
Deserta morerere domo, tecumq. sepulcro
Inferres Phariæ monumenta Viraginis. Ergo
Aëra per medium liuentibus incita pennis,
Fertur, & infensam luci, noctisq. tenebris
Gaudentem simulat Volucrem, celeriq. volatu
Limina iussa petit: cunctos in tempore Patres
Aspicit, vt mos est, abitum de Sede parantes.
Insedit foribus, gressus obseruat euntum,
Zosimon opperiens. Vt cui mens læua, furensq;
Subdit Mars stimulos, vnū vt de millibus ense
Occupet, & crudas exerceat improbus iras.
Iamq; alios, rursumq. alios Fera sæua notarat.
Egreditur tandem, mora nulla, niualibus armis
Imbellem aggreditur, flāmisq. sequacibus vrget.
Olli continuò per opertos diditur artus
Arida succiduo glacies admista tremori,
Ac sese algentes paullatim torridus ignis
Ingerit in venas: populatrix flamma repente
Proditur indicijs, geminatur anhelitus oris,
Ore auras captat, fesso rubor errat in ore.
Ergo refert lento vestigia languida motu,
Insternitq. humili languētia membra grabato.
Hoc erat, exclamans, mihi quod præsagijt ingēs
Femina. Iam Pestes Monstrum exitiale secutas
Excierat, suprema hominem quo perderet aura.
Inde tamen, Senij cui credita cura tuendi,
Summouit Genius, Febrim consistere passus
Ad paucōs Soles. Denos nondum axe recursus
Sol quater expleratdulce in penetrale receptos
Viderat ille Patres, Mensis lux nona Cypræi
Institerat, Seniorq. lue perfunctus edaci,
Frigida cum summæ langueret portio noctis,
Præuia venturæ lucis, sic ore profatur:
Nascere; quæ toto tardè mihi redderis anno,
Nascere fausta dies, quā per spatia ampla morā-
Tarda reuertentis dum flectitur orbita Solis, (tē
Expecto, quæ sola venis paritura petitos

Congressus: effunde iubar; te namq; reuersa,
Christi Epulum Paschale redit, votumq. rogāti
Redditur. Aurato sed Lucifer exit ab ortu.
Tum stata sacra ferunt, stratos ex ordine Patres
Frugibus intactis, roseoq. cruore Sacerdos
Refficit, assuetos mox lætior inchoat hymnos.
Pœne Poli media Titan plus parte tenebat:
Quod simul aduertit, iussas petere ardet arenas
Ocyus; hinc Vrnam, qua mystica liba recondat,
Accipit, & calathum tenui de vimine textum.
Intus Palmarum fœtus, rugosa locatur
Carica, & egelidis perfusa legumina guttis.
It propere, & tardus comitatur Vesper ad vndas.
Substitit in ripis, & per Iordanin amœnum
Intuitus spargit crebros, per flumina si quam
Forte ratem videat, quæ gaudia nota reportet.
Cedebat nosti casurus in æquor Apollo,
Ex alijs nostrum rediturus in æthera regnis,
Noxq. pruinosis crinem redimita tenebris,
Nigrantes vrgebat equos. Ille æquora longo
Prospectu Solymæa legens, trabe nec tamē vlla
Cognita adhuc, animihęc pēdēs. Mulierne prio- (res
Intulit huc plātas, dū nil dispendia voluēs,
Segne iter ingredior? sed enim nec stupea nauim
Vincla ligant, totaq. vacant retinacula ripa.
Forsan ab aduerso dum respicit aggere inane
Littus, & insessum nulli, rata fluxe per auras
Imperia, in solitos voto fraudata recessus
Tristis abit? Sed nec longo processit Olympo,
Cūq. choro Astrorū Nox Cęli limine in ipso est,
Et nūc tempus adest, nostrā quo migret in actā.
Fors nullos molitur adhuc ad littora gressus,
Esto; viæ mentem calor excitet, vnde biremis,
Qua flumen sulcare queat? sine puppe fluentum
Intret, & instabilem non horreat ire per vndā?
Heu me infelicem? quis me spe deijcit? ecquis
Extrahit in luctus, nec parto reddit honori?
Tu, Deus, exigua passus qui claudier vrna
Hanc propter, miseræ ne despice vota senectæ.
Dūq; iterat Senior lacrymis ea carmina, tandē
Emicat oppositam Soboles Aegyptia in oram.
Ex-

Exſiluit, tantuſq. obijt præcordia dulcor:
Irrepſit quantus quondam per Moſeos agmen,
Splenduit obſcura lucens cum nocte Columna,
Inq; die Angelico nituerunt nubila ductu
Qua tamē arte fretū ſuperet, dū pectore verſat,
Stat dubius, miſtoq. metu ſua gaudia librat.
Illa vbi protenſo gaudens ſuper aſtitit amnis
Margine, ſaluifico ſignans vada peruia ſigno,
Mobilibus ſe credit aquis, ſecura per vdum
Vadit iter, famulus paſſim ſubſternitur humor,
Nec tenui greſſus aſpergine tinguit euntis.
Salue priſca Fides Patrū, Christi aurea ſalue
Compes, amoris opus, rerum gratiſſima merces.
Hac pede vel ſicco, duce te, tranſnauit, in ęthrā
Olim flammigero vectus qui dicitur axe;
Hac ſancti, Duce te, Iſacidum gens fœderis Arcā
Intulit, ingrati pepulit contagia morbi
Septena Namaan lotus vice gurgite in iſto,
Imperijs veneranda tuis rota Solis hebeſcit,
Ac relegit conuerſa vias, imponis habenas
Fluminibus, transfers aliena in culmina mōtes
At vero intactis ſulcantem flumina plantis,
Littora mirantur circum, mirantur & vndæ.
Aſtupet ipſa ſoror Phœbi, noctemq. verendam
Irradiat maiore coma, non cornua pura
Fronte gerit, pleno orbe tumet, radioſq. comarū
Explicat, excelſum Cæli dimenſa cacumen.
Ipſe etiam vitreis hilaris Iordanis ab antris
Extulit auratam faciem, lumenq, rotauit
Dulcius, ac Diuę pedibus gradientis obundans,
Sæpe verecundo veſtigia lambere fluctu
Appetijt, paſſimq. ſuos teſtatus honores,
Elicuit placidis feſtiuum murmur ab vndis.
Quid quod & inſtrata Senior procūbat in alga,
Oblitus ſe ferre Deum? ni ſancta Virago
Admoneat, quæ forte vadis librata ſupremis,
Curſus ad ripæ tumulum propioris agebat.
Appellit, glaucaq. tremens exponitur vlua;
Accuruat tum genua ſolo, vitreoq. latentem
Carcere lætanti ſic voce affatur Ieſum.
Tun' igitur, cui iure pari concedit ab æuo

Orbem regnandum Genitor, cui machina Cęli
Tota patet, breuiorq. tamen, quã quæ potis ample
Te Dominũ gestare sinu, tu qualis Olympo,
Et quantus, frugum sub nube reconditus arcta
Hic ades? indignam dignaris munere tanto?
Disiice iam quidquid tenebrarũ pectore nostro
Clauditur, & larga radiorum mole refusum,
Multicolore pias imitetur luce Columbas.
O vtinam veros animæ domus induat ignes,
Inq. tuas abeat flammas: vt vertitur ignis
In faciem, viresq. nouat, quodcumq. calenti
Turbine corripitur: Tu Christe, per Azymon almi
Corporis, oro, tui me, si haud indebita posco,
Transfer in effigem, puroq. hinc asserere Cælo.
Vt te, multiplici post tempora lapsa rotatu,
Optatum toties, flagranti lumine tandem
Aspicio, totoq. libens te pectore condo?
Tum trepidante manu vitalia liba Sacerdos
Obtulit, ambrosioq. animam satiauit inhaustu.
Excurrit, mediosq; fluens medicamen in artus,
Circumfusam animam diuinæ in viscera mẽtis
Interiora vocat: stat terra immobile corpus,
Aetheria veluti defunctum luminis aura.
Qualiter imbriferi degens in vertice montis
Prætrepidat, nimiusq. ligat dum pectora terror,
Deficit exanimis, nec iã amplius æthera carpit,
Hunc penes eliso si decidat aëre fulmen.
Vtq. diu insolita melior dulcedine sensus
Delicuit, ceu torpenti sibi reddita somno:
Nũc, ait, ò Superũ Princeps, nũc, deprecor, Orbis
Eripe me vinclis, famulam dignare perenni
Libertate Poli, discussis vidimus vmbris,
Quem sæcli Dominum, largitoremq. bonorum
Ante renascentis dederas cunabula Mundi.
Mox affata senem. Parce, ò Pater optime, parce,
Hoc quoq; si mens est vltrò deposcere; velox
Hinc abeas, &, Sole nouo, cum liqueris Aedem,
Antiquas molire vias, quo limite primum
Sedimus, in primas vbi soluimus ora loquelas:
Nempe tibi nostri maior tunc copia, tecum
Non vacat hic seras producere longius horas.

Sub-

Subdit ad hęc. Vtinā lateri, Cęlo auspice, detur
Vsq; hærere tuo, cordi preciosa voluptas
Afflueret, dulces caderent in gaudia luctus:
I tamen, & nostri, quæcumq; ea, dona canistri
Tolle prius, modico te nunc solare paratu.
Illa Paretonium non aspernata legumen,
Exilem comedit lentem, dein cætera lenis
Respuit; illapsam, memorans, diuinitus auram
Posse implere hominē duplicis munimine vitę.
Ilicet insiluit flumen, præcinctaq. flammis
Rursum oras sancti tenuit suspensa fluenti.
Prosequitur visu Senior, littusq. serenis
Fletibus irrorat, queritur mensesq. rotandos,
Aestiuasq. moras, non iam cessisse labores
Hibernos, Cælumq. nouo non ire meatu.
Lux oculos sed lassar iners: per nota viarum
Regreditur, reducesq. anni suspirat habenas.
Nondum raptus honor stellis, tellure sub ima
Nox nondum sese occulerat; velocior Euro,
Exiguis spatijs; bisdenas qua via luces
Postulat, & longo protenditur ardua tractu,
Vltimus exacti sic vrget terminus æui,
Se MARIA assuetis reddit gauisa latebris.
Empyreas supra Turres, culmenq. supernum
Aetheris, augusta stat maiestate verendus
Astrorum Genitor: solio subduntur eburno,
Innumeros inter cuneos, famulasq, cohortes,
Tempus, in æternos numerū quod diuidit orbes,
Et Natura parēs: cruda huic, viridisq. senectus,
Perpetuusq. decor, magno indefessa labore
Inuigilat Mundi curis, rerumq. sequestra
Fœdere concordi pugnantia semina iungit.
Cura prior, grauida fecundę Matris in aluo
Iunxe elementorum seriem, quibus ille recisus
Certandi genius, qui cuiq; ab origine Mundi
Inditus; hinc siccis vbi non humentia pugnant,
Frigida non calidis, vno componit aceruo,
Atque rudem massam diuerso sidere Cęli
Expolit, ac dignū decus imprimit: vtq. Tonātis
Fingat in effigiem, cū iam stata tēpora Olympus
Attulit, ante Deum sistit, qui informia pulchram
Spi-

Insuetos, duroq. affixum brachia malo
Puram animam medijs in sontibus expirasse,
Sontibus immeritam pareret qui nempe medelā
Morte sua, meritoq. reos arceret Auerno,
Da, Virgo, talem Natum quæ digna reperta es
Ingrato donasse Orbi, da posse referre, (aram
Quod peperit mihi morte bonū. Tibi pectoris
Deuoueo, ritusq. pios imitata regentum,
Cum puppim emotæ certant sorbere procellæ,
Vota ferunt, pictasq. parant post vota tabellas:
Emersa è scelerum fluctu, tacitaq. repulsa
Libera, marmoreæ radiabit imagine formæ
Hæc facies, tabulasq. dabit vox ista loquaces.
Tu modo ne sanctis exclude à postibus, illud,
Illud ego vt Lignum spectē, quo nostra propago
Ridet tartareum, iam non captiua, Tyrannum.
Da faciles aditus: etenim si plena sui mens
Vel minimum se posse putat, non vllius vnquā
Inquiner attactu sceleris, non crimine posthac
Polluar: extremo inijcimus iam vincla pudori,
Et fidam extremi partem promittimus æui.
Finieram. Trepidam penetrāt cœlestia mentē
Robora: continuò Fidei succensa calore,
Speq. piæ Genitricis ouans, vestigia raptim
Ad vetitum refero limen, stantemq. cateruam
Oppleo: dumq. imo sub pectore spesq., metusq.
Concursant, tandem, vi nulla obstante, fremētes
Transgredior turmas, dubitataq. tēpla subintro.
Quid mihi tunc animi? quā læto in corde vo-
Speratis hæsisse locis? ne gaudia confer (luptas
Illius, ipsa inter quæ murmura conuiuarum
Haud verita est Christi vestigia tangere dextra,
Impuramq. olim summittere ad oscula linguā,
Quamquam animi tunc pura: ergo introgressa
Vsque rubescenti defixi lumina Ligno; (cruore
Circumstant aræ centum, funalia centum
Fixa tholis, Mons abscissus, fractiq. molares,
Ac Domini respersa pijs sudoribus arma,
Vtq. oculis satis indultum, mentemq. capaci
Luce explesse datum, pacem, veniamq. rogātes,
Mille verecundis affiximus oscula saxis,

Atque exorata lentè decessimus Aula.
Tollitur extemplo MARIAE ꝓſpectus in ora,
Ore autem. Quas ah! grates, aut quale rependã
Pectoris obſequiũ, meriti quod pandat abunde
Pondera? tu vetitas aperis mitiſſima valuas,
Et das ſiderei victricia ſigna tueri
Principis, atque animæ ſperata pace potiri;
Quã dedimus dignare animã; tibi colligit auras.
Dirige tu dubiam, venientia tempora vitæ
Inſtrue, venturis viuat quo dignius annis.
Hæc vbi dicta: leues ſubito reſoluta per auras
Vox ſonat. Humentes i trans Iordanis arenas;
Hic tibi tuta quies, & ſummi terminus æui.
Nec plura. Implorãſq. iterũ per vota benignã
Parthenicẽ, greſſum ad iuſſam cito molior vndã.
Nec deeſt, conſpicuo nudatam tegmine, palla,
Simplice contentam, largæ qui munere dextræ
Dignetur, geſtanſq. manu tria liba, Syonem
Deſero, & optati ſtructam propè littora Ponti
Ædem adeo. Interea Sol occidit, altaq. montes
Vmbra tenet; ſaxo ingredior fundata vetuſto
Templa, & ad ignotam procedo Numinis aram.
Quã ſuper: Eximiũ fluuio radiare IOANNEM,
Rore leui, timidè Chriſti ſacra mẽbra rigantem
Intueor; iuuenumq. choros hinc inde gerentũ
Lintea; demiſſam cæleſti ſede Columbam,
Æternum magni teſtantem Pignus Olympi.
Sternor humi, teq. ore pio, Ter Maxime Vatũ
Deprecor, aſſiſtas operi, meaq. æthere ab alto
Orſa iuues. Sed ſtellanti Nox ardet in vmbra,
Meq. ſopor placidis feſſam complectitur alis.
Iam reſerata dies, ſomnũq. à mente fugaram.
Illic multiplicis conſueta piacula noxæ
Concipio, lymphiſq; manus, atq; ora refundens,
Attactu quas ipſe ſuo ſacrauit Ieſus,
Antiquam celebro Patrum da more Synaxim.
Mox flumen, ſalebraſq. loci tranſuecta; maligna
Qua ſola, & humanæ renuũt ſaxa aſpera plãtæ,
Deferor, & cæcæ fugiens diſcordia turbę
Agmina, inacceſſi formidine perfruor orbis.
Atq; hic orta Pharo, facto iam fine, quieſſet:

Ni Pater: Imo agedū,ne,quę tibi cūq. superfunt
Nube tegas; dulce emenſum memorare laborū
Pondus, & exacti ſeriem percurrere fili.
Illa autē: Innumeras,lingua, exordire qrelas,
Lingua,meos caſus, & quot prope cōdita portu;
Pertulerim fluctus, feralibus incipe dictis.
Phœbe, quaterdecies ſtellantia templa rotaſti
Septenos ſupra curſus, ex quo Vrbe relicta
Dauidis, hos colimus,nullo infeſtante,receſſus,
Nullo,inquā,infeſtāte hominū;quādo omnis ab
Exorta in me tēpeſtas,hoc fonte dolorum (Orco
Triſte fluēs numerus. Ter ſenos torta per annos
Plus minus, his memini: quantū viciſſe pericli
Auſpice Chriſtipara, quales ſuperaſſe recordor
Dæmonis aſſultus; hinc accipe. Sæpius ægrum
Pectus, & exhauſtum lacrymis ſtringebat edēdi
Acer amor: toſtas Cereris cum dentibus eſcas
Attererem, ſubito laxi ludibria ventris
Surgebant animo, quod terra, quod educat aër,
Quod Nilus, quoſcūq. Deos Ægyptus honorat;
Adde merum Meroes, Mareotidis adde falernū,
Cæci luxuriem Bacchi, precioſaq. mundi
Fercula, queis olim laſciua licentius ætas
Diffluxit; quæ quando loci prohibebat egeſtas,
Pallebam, maciemq. anima interiore coquebā:
Sæpe leues Citharas, ſpirantia carmina,amātū
Iurgia, molitas fraudes, reſolutaq; in ignem
Viſcera, & effuſas in mollia gaudia noctes
Inſinuans, mæſtam iam non repetenda Libido
Torquebat lentè, vitæq. in dura trahebat
Tædia. Quid paſſas nocturna per otia pugnas,
Iniectoſq metus referam? me tardus Hibero
Deſerat ante dies, quā monſtra in lurida verſos
Enumerem Lemures, quā ſpectra minātia cędē,
Inflictas Erebi pœnas, promiſſaq; demum
Funera, Eremicolæ quæ nuſquā hauſere priores.
Me tamen, & vulſi penitus ſolatia morbi,
Verberibuſq; admiſta pijs lamenta tegebant,
Et quæ,deuotos VIRGO haud fruſtrata precat⁹,
Munifico ſpargit languentia pectora nimbo.
Hinc clades inter, vibrataq. tela profundis
Fra-

Fratribus, Angelicis incincta cohortibus, altis
Visa exisse Polis, & me Mundi ima tenentem,
Despectamq. vltrò sanctis animasse loquelis.
Fide animo, victrix tandem ditabere Auerni
Exsuuijs, meritasq. dabũt tibi Tartara palmas.
Perfer, & obdura: cælestis semita in arctum
Tendit, & angustus patitur vim limes Olympi.
His ego dum versor vicibus, transmissaq. vitę
Tempora purgata cordis statione retracto,
Curarum extremas rediens Sol attulit horas.
Ex illo, hinc alio tristes abiere tenebræ,
Nec defæcatum violare hunc aëra fœdę
Ditigenum potuere manus; vidi ipsa rebelles
Irrita conari, vidi ipsa immanibus Hidris
Ardere, ac tremulis iræ incandescere flammis,
Vidi etiam admoto procul ablegata flagello
Bella, odia, & Stygij nigrantia fulmina regni,
Et castos Superum post hic habitasse maniplos:
Qui sceleris puram functãq. laboribus Orci,
Sæpe sacras secum duxere per ætheris oras,
Et patrij dederunt commercia noscere Cæli.
O memores longum luces, albisq. notandæ
Velleribus, quibus Astriferas super edita moles,
Aspexi, Chaldæa olim prope flumina quidquid
Captiuus cecinit perplexo carmine Vates;
Quidquid & Aegęo premitur qua ꝓxima Nereo
Pathmos, inexplicitus fertur cecinisse Ioannes.
Sed summo laus summa Patri, qui sæpe potentes
Dignatur solio, interea non despicit Orbis
Quisquilias: quo more suos Sol arduus ignes
Æquè pauperibus donat, locupletibus æquè.
Desierat iã plura loqui. Tamẽ vnde tot annis
Excepit Senior, frugum tibi copia? & vnde
Vel leue nudatos tegmen contexuit artus?
Illud idem, illa refert, quo liquimus alta Syonis
Mœnia, & irriguas Iordanis obiuimus vndas,
Temporis enectum vitio, nimiaq. senecta
Deciduum, tenues abijt velamen in auras.
Crebrius hinc tactum glaciali frigore corpus,
Grandineq., & crudo pluuiarum algore petitũ,
Et Canis Icarij torrentia spicula passum,

Heu quot ſuſtinuit, quã magna incõmoda? quot
Induit in facies? poſſes modo dicere anheli (ſe
Effigiem ſcopuli, refluo cum tunditur æſtu
Aequoris hyblæ ſimilem modo dicere ceræ,
Quæ perit, ardenti cum ponitur obuia Soli.
At mihi quas eſcas dederat pia dextra, diurno,
Nocturnoq. gelu poterant quę attraxe perennẽ
Duritiem, denos ſeptem per Veris honores
Vixere, inde herbis, quę cãpis hiſce vireſcunt,
Veſcebar: ſed enim veteres lapſuſq., nefaſq.,
Corde reuoluenti, lacrymiſq. piare volenti
Non vllæ cordi clamydes, non vlla ſuperbæ (eſt,
Gaudia erãt mẽſę, ſed quo calet omne, qđ vſquã
Deſuper infuſum velabat pectora VERBVM,
Fecundoq. animam ſatiabat nectaris imbre.
Quis dubitet? noſtri vera hæc ſententia Regis,
Haud toſtae tantum ſpirant munimine frugis
Mortales, certum robur, vitamq. miniſtrat
Sermo Dei, dulceſq. epulas imitatur Olympi,
Quæ Iſraëligenas olim pauere cohortes.
Hactenus annorum ſeriem memoraſſe meorũ
Sit ſatis, & feſſæ tenuis ſi gratia linguæ
Debetur, ſummo pro me pia vota Parenti
Offer, Auernali meritam ne deſtinet igni.
Finis erat fandi: porrecta fronte Sacerdos
Obſtupet infuſos rores, conceſſaq. ab alto
Munera, tum paſſis ſuſpectans æthera palmis,
Aeternas, inquit, grates, placidiſſime Regum
Reddo, Chriſte tibi, qui quos largitus honores
Huic, quæ in Cælicolum ſe conſpiraſſe fatetur
Dedecus, educis tenebris, atq; aſſeris Orbi,
Me præſente, tuis quo ſcilicet alter in aris
Patri pacificas non ſegnior obtulit eſcas.
At te, ſic ſubdit Mulier, per numina Cęli
Obteſtor, per ſi quis dictis fors penes iſtam
Caniciem mihi reſtat honos; ne, deprecor, vni
Dicta tibi, cures hominum demittere in aures,
Donec ſe humanis latebris, & compede viua
Eximat, & patrios repetat mens libera campos.
I felix, Arieſq. nouis vbi cornibus annum
Extulerit, menſeſq; nouo Phaëtonte redibunt,

Huc

Huc adsis, mistoq; iterum sermone fruemur.
Ante pero, simul ac cineres, & nota recurrent
Tempora, quæ magni renouant ieiunia Christi,
Ne superes Iordanis aquas: verum ipsa facultas
Longe aberit, licet ipse velis; sed vespere sero
Flos Patris ætherij cum passus adorea liba
Vertier in se se, conclusum pyxide corpus
Adfer, vt optatæ celebrem conuiuia cenæ.
Namq; per hoc æui, vastis quo viximus agris,
Sinceram Domini nequicquam optauimus escã.
Vltra Iordanis ripas absiste moueri,
Ipsa adero. Iam vade alacer, votumq. volentis
Corde exire veta, sic in te certa bonorum
Dona fluant, sperentq; suum te sidera ciuem.
Tantũ effata, atque in verbo vestigia torquẽs,
In diuersa abijt: demissus in ora recumbit
Zosimus, & pressæ lambit sola feruida terræ,
Protinus abscedit, sanctamq. remensus Eremũ,
Se lætum socijs comitem redeuntibus addit:
Quos demum reduces sperata in tecta receptos,
Sacra salutiferæ recreant sollemnia mensæ.

Libri Secundi Finis.



IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI AEGYPTIADOS,

LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

Zosimon inuadit Febris, qua liber, ad vndas
Procedit, vitreo defert sub carcere Christū,
Cuius vbi MARIE similagine pasta, quieto
Immoritur letho, Cæli supera ardua scandens.
Arua Senex relegit, fusum tellure cadauer
Componit tumulo, nomenq; euulgat in Orbem.

INTEREA solitas versatilis expedit anni
Menstrua Luna moras, orditur & ipse labores
Phœbus ab axe nouos, quo florea nascitur Orbi
Temperies, verniq. palam reserantur honores.
Annuus ordo redit, redeunt cum Sole reuerso,
Christiadum de more, dies, quos ore sereno,
Pulueris iniecti auspicio, pulcherrima rerum
Sobrietas auidis ridens complectitur vlnis,
Sobrietas, qua criminibus se se expiat atris
Turbida vis animæ, qua luxu effusa domantur
Viscera, qua celebri splendent Ieiunia cultu.
Ecce tenebrosis Erebi festinat ab antris
Dira lues, nigro FEBRIS circumdata amictu,
Luce oculos perfusa graui, feruore maligno
Funereum succensa caput, stat frigida circum
Cæsaries, latè glacialibus obsita nimbis.
Dextram frigus iners, læuā grauat ignea cuspis

Lu-

Luctificosq; Metus, Lethumq. immane, seueras
Dat Pluto comites. Illam iubet ire silentes
Inter Claustricolas, & te peruadere furtim
Sancte Senex, qui lethali formidine torpens,
Deserta morerere domo, tecumq. sepulcro
Inferres Phariæ monumenta Viraginis. Ergo
Aëra per medium liuentibus incita pennis,
Fertur, & infensam luci, noctisq. tenebris
Gaudentem simulat Volucrem, celeriq. volatu
Limina iussa petit: cunctos in tempore Patres
Aspicit, vt mos est, abitum de Sede parantes.
Insedit foribus, gressus obseruat euntum,
Zosimon opperiens. Vt cui mens læua, furensq;
Subdit Mars stimulos, vnū vt de millibus ense
Occupet, & crudas exerceat improbus iras.
Iamq; alios, rursumq. alios Fera sæua notarat.
Egreditur tandem, mora nulla, niualibus armis
Imbellem aggreditur, flāmisq. sequacibus vrget.
Olli continuò per opertos diditur artus
Arida succiduo glacies admista tremori,
Ac sese algentes paullatim torridus ignis
Ingerit in venas: populatrix flamma repente
Proditur indicijs, geminatur anhelitus oris,
Ore auras captat, fesso rubor errat in ore.
Ergo refert lento vestigia languida motu,
Insternitq. humili languētia membra grabato.
Hoc erat, exclamans, mihi quod præsagijt ingēs
Femina. Iam Pestes Monstrum exitiale secutas
Excierat, suprema hominem quo perderet aura.
Inde tamen, Senij cui credita cura tuendi,
Summouit Genius, Febrim consistere passus
Ad paucōs Soles. Denos nondum axe recursus
Sol quater explerat; dulce in penetrale receptos
Viderat ille Patres, Mensis lux nona Cypræi
Institerat, Seniorq. lue perfunctus edaci,
Frigida cum summæ langueret portio noctis,
Præuia venturæ lucis, sic ore profatur:
Nascere; quæ toto tardè mihi redderis anno,
Nascere fausta dies, quā per spatia ampla morā-
Tarda reuertentis dum flectitur orbita Solis, (tē.
Expecto, quæ sola venis paritura petitos

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI AEGYPTIADOS, LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

Zosimon inuadit Febris, qua liber, ad vndas
Procedit, vitreo defert sub carcere Christũ,
Cuius vbi MARIE similagine pasta, quieto
Immoritur letho, Cæli supera ardua scandens.
Arua Senex relegit, fusum tellure cadauer
Componit tumulo, nomenq; euulgat in Orbem.

INTEREA solitas versatilis expedit anni
Menstrua Luna moras, orditur & ipse labores
Phœbus ab axe nouos, quo florea nascitur Orbi
Temperies, verniq. palam reserantur honores.
Annuus ordo redit, redeunt cum Sole reuerso,
Christiadum de more, dies, quos ore sereno,
Pulueris iniecti auspicio, pulcherrima rerum
Sobrietas auidis ridens complectitur vlnis,
Sobrietas, qua criminibus se se expiat atris
Turbida vis animæ, qua luxu effusa domantur
Viscera, qua celebri splendent Ieiunia cultu.
Ecce tenebrosis Erebi festinat ab antris
Dira lues, nigro FEBRIS circumdata amictu,
Luce oculos perfusa graui, feruore maligno
Funereum succensa caput, stat frigida circum
Cæsaries, latè glacialibus obsita nimbis.
Dextram frigus iners, læuã grauat ignea cuspis

Lu-

Luctificosq; Metus, Lethumq. immane, seueras
Dat Pluto comites. Illam iubet ire silentes
Inter Claustricolas, & te peruadere furtim
Sancte Senex, qui lethali formidine torpens,
Deserta morerere domo, tecumq. sepulcro
Inferres Phariæ monumenta Viraginis. Ergo
Aëra per medium liuentibus incita pennis,
Fertur, & infensam luci, noctisq. tenebris
Gaudentem simulat Volucrem, celeriq. volatu
Limina iussa petit: cunctos in tempore Patres
Aspicit, vt mos est, abitum de Sede parantes.
Insedit foribus, gressus obseruat euntum,
Zosimon opperiens. Vt cui mens læua, furensq;
Subdit Mars stimulos, vnũ vt de millibus ense
Occupet, & crudas exerceat improbus iras.
Iamq; alios, rursumq. alios Fera sæua notarat.
Egreditur tandem, mora nulla, niualibus armis
Imbellem aggreditur, flãmisq. sequacibus vrget.
Olli continuò per opertos diditur artus
Arida succiduo glacies admista tremori,
Ac sese algentes paullatim torridus ignis
Ingerit in venas: populatrix flamma repente
Proditur indicijs, geminatur anhelitus oris,
Ore auras captat, fesso rubor errat in ore.
Ergo refert lento vestigia languida motu,
Insternitq. humili languẽtia membra grabato.
Hoc erat, exclamans, mihi quod presagijt ingẽs
Femina. Iam Pestes Monstrum exitiale secutas
Excierat, suprema hominem quo perderet aura.
Inde tamen, Senij cui credita cura tuendi,
Summouit Genius, Febrim consistere passus
Ad paucõs Soles. Denos nondum axe recursus
Sol quater expleratꝫ dulce in penetrale receptos
Viderat ille Patres, Mensis lux nona Cypræi
Institerat, Seniorq. lue perfunctus edaci,
Frigida cum summæ langueret portio noctis,
Præuia venturæ lucis, sic ore profatur:
Nascere; quæ toto tardè mihi redderis anno,
Nascere fausta dies, quã per spatia ampla morã-
Tarda reuertentis dum flectitur orbita Solis, (tẽ.
Expecto, quæ sola venis paritura petitos
I 5 Con-

Congressus: effunde iubar; te namq; reuersa,
Christi Epulum Paschale redit, votumq. rogâti
Redditur. Aurato sed Lucifer exit ab ortu.
Tum stata sacra ferunt, stratos ex ordine Patres
Frugibus intactis, roseoq. cruore Sacerdos
Refficit, assuetos mox lætior inchoat hymnos.
Pœne Poli media Titan plus parte tenebat:
Quod simul aduertit, iussas petere ardet arenas
Ocyus; hinc Vrnam, qua mystica liba recondat,
Accipit, & calathum tenui de vimine textum.
Intus Palmarum fœtus, rugosa locatur
Carica, & egelidis perfusa legumina guttis.
It propere, & tardus comitatur Vesper ad vndas.
Substitit in ripis, & per Iordanin amœnum
Intuitus spargit crebros, per flumina si quam
Forte ratem videat, quæ gaudia nota reportet.
Cedebat nocti casurus in æquor Apollo,
Ex alijs nostrum rediturus in æthera regnis,
Noxq. pruinosis crinem redimita tenebris,
Nigrantes vrgebat equos. Ille æquora longo
Prospectu Solymæa legens, trabe nec tamē vlla
Cognita adhuc, animi hęc pēdēs. Mulierne prio- (res
Intulit huc plātas, dū nil dispendia voluēs,
Segne iter ingredior? sed enim nec stupea nauim
Vincla ligant, totaq. vacant retinacula ripa.
Forsan ab aduerso dum respicit aggere inane
Littus, & insessum nulli, rata fluxe per auras
Imperia, in solitos voto fraudata recessus
Tristis abit? Sed nec longo processit Olympo,
Cūq. choro Astrorū Nox Cęli limine in ipso est,
Et nūc tempus adest, nostrā quo migret in actā.
Fors nullos molitur adhuc ad littora gressus,
Esto; viæ mentem calor excitet, vnde biremis,
Qua flumen sulcare queat? sine puppe fluentum
Intret, & instabilem non horreat ire per vndā?
Heu me infelicem? quis me spe deijcit? ecquis
Extrahit in luctus, nec parto reddit honori?
Tu, Deus, exigua passus qui claudier vrna
Hanc propter, miseræ ne despice vota senectæ.
Dūq; iterat Senior lacrymis ea carmina, tandē
Emicat oppositam Soboles Aegyptia in oram.
Ex-

Exsiluit, tantusq. obijt præcordia dulcor:
Irrepsit quantus quondam per Moseos agmen,
Splenduit obscura lucens cum nocte Columna,
Inq; die Angelico nituerunt nubila ductu
Qua tamē arte fretū superet, dū pectore versat,
Stat dubius, mistoq. metu sua gaudia librat.
Illa vbi protenso gaudens super astitit amnis
Margine, saluifico signans vada peruia signo,
Mobilibus se credit aquis, secura per vdum
Vadit iter, famulus passim substernitur humor,
Nec tenui gressus aspergine tinguit euntis.
Salue prisca Fides Patrū, Christi aurea salue
Compes, amoris opus, rerum gratissima merces.
Hac pede vel sicco, duce te, transnauit, in ęthrā
Olim flammigero vectus qui dicitur axe;
Hac sancti, Duce te, Isacidum gens fœderis Arcā
Intulit, ingrati pepulit contagia morbi
Septena Namaan lotus vice gurgite in isto,
Imperijs veneranda tuis rota Solis hebescit,
Ac relegit conuersa vias, imponis habenas
Fluminibus, transfers aliena in culmina mōtes
At vero intactis sulcantem flumina plantis,
Littora mirantur circum, mirantur & vndæ.
Astupet ipsa soror Phœbi, noctemq. verendam
Irradiat maiore coma, non cornua pura
Fronte gerit, pleno orbe tumet, radiosq. comarū
Explicat, excelsum Cæli dimensa cacumen.
Ipse etiam vitreis hilaris Iordanis ab antris
Extulit auratam faciem, lumenq; rotauit.
Dulcius, ac Diuę pedibus gradientis obundans,
Sæpe verecundo vestigia lambere fluctu
Appetijt, passimq. suos testatus honores,
Elicuit placidis festiuum murmur ab vndis.
Quid quod & instrata Senior procūbat in alga,
Oblitus se ferre Deum? ni sancta Virago
Admoneat, quæ forte vadis librata supremis,
Cursus ad ripæ tumulum propioris agebat.
Appellit, glaucaq. tremens exponitur vlua;
Accuruat tum genua solo, vitreoq. latentem
Carcere lætanti sic voce affatur Iesum.
Tun' igitur, cui iure pati concedit ab æuo

Subdit ad hęc. Vtinā lateri, Cęlo auspice, detur
Vsq; hærere tuo, cordi preciosa voluptas
Afflueret, dulces caderent in gaudia luctus:
I tamen, & nostri, quæcumq; ea, dona canistri
Tolle prius, modico te nunc solare paratu.
Illa Paretonium non aspernata legumen,
Exilem comedit lentem, dein cætera lenis
Respuit; illapsam, memorans, diuinitus auram
Posse implere hominē duplicis munimine vitę.
Ilicet insiluit flumen, præcinctaq. flammis
Rursum oras sancti tenuit suspensa fluenti.
Prosequitur visu Senior, littusq. serenis
Fletibus irrorat, queritur mensesq. rotandos,
Aestiuasq. moras, non iam cessisse labores
Hibernos, Cælumq. nouo non ire meatu.
Lux oculos sed lassat iners: per nota viarum
Regreditur, reducesq. anni suspirat habenas.
Nondum raptus honor stellis, tellure sub ima
Nox nondum sese occulerat; velocior Euro,
Exiguis spatijs; bisdenas qua via luces
Postulat, & longo protenditur ardua tractu,
Vltimus exacti sic vrget terminus æui,
Se MARIA assuetis reddit gauisa latebris.
Empyreas supra Turres, culmenq. supernum
Aetheris, augusta stat maiestate verendus
Astrorum Genitor: solio subduntur eburno,
Innumeros inter cuneos, famulasq, cohortes,
Tempus, in æternos numerū quod diuidit orbes,
Et Natura parēs: cruda huic, viridisq. senectus,
Perpetuusq. decor, magno indefessa labore
Inuigilat Mundi curis, rerumq. sequestra
Fœdere concordi pugnantia semina iungit.
Cura prior, grauida fecundę Matris in aluo
Iunxe elementorum seriem, quibus ille recisus
Certandi genius, qui cuiq; ab origine Mundi
Inditus; hinc siccis vbi non humentia pugnant,
Frigida non calidis, vno componit aceruo,
Atque rudem massam diuerso sidere Cęli
Expolit, ac dignū decus imprimit: vtq. Tonātis
Fingat in effigiem, cū iam stata tēpora Olympus
Attulit, ante Deum sistit, qui informia pulchram
Spi-

Spiret in ora animam, ducẽdaq. tempora dicat.
Scribit dicta Senex; hinc certũ Pignus in auras
Mittitur, edicti spatium quod finiat æui.
Quodq. recidendæ cum fila breuissima vitæ
Vertuntur, vel lethali Mors atra veneno
Orbe rapit, vel bellorum caligo cruentat,
Obruit aut blandi pellacia subdola Ponti,
Adde frequens Morborũ agmẽ. Postrema ruebāt
Tempora, Niliacũ poscunt fata incita Germen,
Afflatamq; animam mitis Natura reposcit.
Ergo non maciem, turpi aut vndantia tabo
Vlcera, non febres instillat in ossa furentes:
Supremum iubet ire Gelu, quod dulcè per artus
Influat, & molli faciat decumbere somno.
Iussum Frigus adest; metasq. vbi mortis adesse
Sensit, fusa solo, purũq. sub æthera tollẽs (quat,
Lumina. Numquid, ait, maturior hora propin-
Alme Deus, qua me tandem compaginis huius
Liberet hospitio, per venas lene fluens Mors?
Promissas porro ad sedes mens aduena, carnis
Vsa satis laribus, tam pleno pectore anhelat;
Quam cui Iudæas votum contendere ad Arces,
Perq. Vrbes Pharias iter haurit, forte Canopi
Delicijs longùm interea diffluxerit ille,
Si tamen excutiat mentem Pietatis imago,
Ingemit, atq; loci sortem execratus acerbam,
Parthorum iaculis, contortoq. ocyor igne,
Digreditur, votasq. volans festinat in oras.
At tu, cũ nexus animę præstrinxerit imos (orbes,
Triste Gelu, & propior tremulos mors presserit
Mensq. abiuncta luto, natiuas exeret artes,
Diuinamq. aciem, da, ne quid flebile, ne quid
Cernat atrox, neu nigra aliquẽ de stirpe ꝓfundi
Dæmonis, æternos trepidam qui raptet ad ignes.
Sunt tria regna tibi, meritis quę digna repẽdũt,
In totidem discreta globos: haud regna petũtur
Summa mihi, degant illic, qui labe recisa
Corporis, ingrati fleuere piacula Mundi,
Perpetuum casta complexi mente serenum.
Sat, si in me tætro nigrantis ab agmine turmæ
Nulla ruat facies: intrem regna infera, nõ quæ
Tor-

Torquet inocciduo pœnarum examine toruus
Rector, & æternū squallentibus asperat vmbris:
Sed quæ ardēt pęnis, quę olim decrescere norint,
Caligant vmbris, quæ olim vanescere norint.
Tuque adeò, timidæ pridem tutela carinæ,
Diua Potens, primis quādo mihi lenis in annis,
Sis, rogo, nunc eadem; nec me iā morte sub ęgra
Versantem, atq; oculos instanti nube grauatam
Desere: tu nautem verax Cynosura petito
Redde Polo, ac sedes (si fas) concede paternas.
Dixit: & apprensa, quæ se fors obtulit, hastæ
Cuspide, deserta scripsit breue Carmen arena.
CONDE solo MARIAM, terrā sup inijce terrę,
Zosime, pallenti me Mors excludit ab orbe,
Nocte sub extrema, sacræ post gaudia cenæ.
Protinus in speciem moribūdę sternitur, ac se
Poluerea componit humo: sic membra locarat
Effusus lecto iam iam moriturus Iacob,
Et vultu Eoum spectat latus. Vltima lethi
Meta propinquabat: confestim fulgor ab alto
Defluus incingit corpus recliue iacentis,
Lumineq. è medio Nubes emergere visa
Par niueis Cycnis, sulcoq. simillima lacteo
Hoc super incūbit, clausosq. recludit honores.
Intus femineis Cęli Regina cateruis
(Nempe suæ audierat vicinum funus alumnæ)
Cingitur; ipsa suo circum se Sole coronat,
Astra ligant duodena comas, prosternitur vltro
Ante pedes, longè radios accincta minores
Titanis; dextra Sanctissima Magdalene
Triste exosa peplum promisso crine superbit.
Proxima terrenos Pelage indignata triumphos
Effulget, Solymis olim quā veste sub antris
Delituit mentita virum. Stat parte sinistra
Suaue rubens Marie clypeati Neptis Abrhami,
Et roseo madidum siccat velamine vultum.
Iuxta habitu Thais pulcherrima, luce coruscat
Candenti, victaq. refert de Cypride palmam.
Mille aliæ comitum facies circumq., supraq.
Funduntur, radijsq. caput morientis inumbrāt:
Dumq. fauent oculis, his Virgo vocibus vsa est.

En

En hiemem post edomitam, fecundaq. nimbis
Tempora, florenti lętatur sidere Mundus:
Te quoq; post obitas clades, Orbisq. nocentis
Exilia, & stygij depressa insignia Monstri,
Felix extremæ complectitur exitus horæ,
Exitus, optatas aditum qui pandat ad oras.
Gaude animo, partæ prægrandia fœnora messis
Te Poli in Arce manēt, tibi nulla ambage viarū
Huc penetrasse datur, quamuis se ostētet aperto
Nigra cohors Cęlo, quamuis qua parte feramur,
Inuertat totos Serpentum Tartarus imbres:
Tende libens animum, melioraq. regna capesse.
Sic ait. Ast illi dudum præcordia frigus
Ambierat, tunc maiori se mole refundens,
Expulit exultantem animam de pectoris Arce.
Protinus exceptam socio dignantur honore
Cælestes Diuæ, plausuq. ardente canoras
Exercent plectro citharas, cantuq. celebrant.
Haud secus eximitur dira dum sede Leonum
Fatidicus Daniel, & primæ redditur aulæ,
Florentem nulla temeratus labe iuuentam,
Applaudunt Ciues, magnis & honoribus auctū
Suspiciunt, obitis obliuia luctibus addunt,
Fortunamq. leuem regali pignore firmant.
Sic & ab euicto remeans Golliade Pastor,
Attonitam Regis stipatus milite in Vrbem
Vadit, eum citharæ versantes pollice neruos,
Et passim pharijs celebrantes orgia sistris,
Virgineæ prędulce canunt per compita turbæ.
At nę perfunctum glaciali vulnere corpus
In putrem vertatur humum, purissima stillant
Nectara, mansuris Superum libata fluentis,
Inde colorata redeunt trans æthera nube,
Et repetunt Cæli suprema decemplicis arua.
Assurgit flexo Titan redeuntibus ore,
Qui tunc eripiens flammas propioribus Astris,
Splēdidior tremulas radios frangebat in vndas,
Purpureumq. diem curru meliore vehebat.
Quiq. comas dum latè aperit, largoq; serenat
Igne Polum, infusa conspectum luce cadauer
Irrubuit, clarisq, diem non inuidet Astris.
At

At senior, non longinquo qui tramite cursum
Cœperat, & viridi sese celauerat antro.
Se in gyrum vertente Polo, dum proxima cernit
Tempora adesse; parat Mariæ se sistere vultu.
Ergo Palæstinas astutum transmeat vndas,
Perq. Nemus tacitum, desertaq. cognita terræ
Incomitatus abit, solersq. hac voluit, & illac
Sollicitos oculos, num passim certa cupiti
Emergant monimenta loci, quo grande quiescat
Pignus: sic visu saltus rimatur acuto
Venatrix acies, vestigia si qua latentum
Deprendat Leporum: mœrēs procedit, & vsquā
Nil, quod spectet, adest: questus hic altus ama-
Elicit interius. Men, o iustissime Diuum, (ror
Mitibus alloquijs, sanctisq. a vultibus arces?
Magnum equidem, rarūq. viris, posse ora tueri
Numinis, humana cuius similatio in vmbra est.
Et cui Terra patens vt seruiat, haud ego tanti
Esse putem: tamē huic duplici si affamine per te
Congressus, si mirandæ mihi linea vitæ
Affulsit, leges redeundi edixit; opertum
Redde decus, neue, ò, tantum perijsse viarum,
Votaq. fusa velis. Pergit, campiq. per oras
Progrediens humectat iter: nec longa moratur,
Signa loci apparent. Sterilis terga arida Torrēs
Explicat, vndanti flammarum cinctus honore.
Accedit propius, nigra tellure iacentem
Adspectat MARIAM, ductis ad pectora palmis.
Nullum fronte decus, spiramina nulla latentes
Concipit in venas, sparsum riget vndiq. frigus.
Diriguit visu, tacitamq. recessit in arcem
Diuisus per membra calor, corpusq. reliquit
Segnius, & pallentes prætulit in cute Buxos.
Idem vtriq; color, frigusq., eademq. per artus
Segnities; viuo credas cum Patre cadauer,
Et cum frigenti certare cadauere Patrem.
Tandē animi redeunt, leuiorq. vbi corde resedit
Horror, in immēsum resolutus protinus imbrē.
Corpus obit, forma fruitur miserandus inani,
Expleriq. nequit; iunctis modo frigida palmis
Oscula, nudatis modo diuidit oscula plantis.

Vtq; diu hospitium felix immobilis ore
Ambijt, has pallens exclusit denique voces.
Hosne ergo affatus, atq; hæc libanda reseruas
Gaudia, præsenti mihi dum promitteris Astro,
Pacatosq. animos, hæsuraq. verba relinquis?
Scilicet, ô fallax rerum tenor! vt tua spectem
Funera, & exequias, extremaq. munera soluam.
Me miserum! culpemne moras Cæliq., meiq.,
Erroresne meos, admissaq. crimina? saltem,
Si certum fixumq. Polis, vt lumina vitæ
Desereres, pressissem oculos morientis, & auras,
Extremas auras abeuntis ab ore bibissem;
Saltem, si immotum fatis, vt in æthera ouantē
Efflares sine teste animam, vel nomine solo
Clareres, dubium ne te vulgaret in Orbem
Fama anceps. O primorum transcendere metas
Digna Patrū, ni præproperus te ad limē Olympi
Sollicitasset amor. Tu Cęli Sidus, Eoæ
Præsidium tu grande plagæ: felicia semper
O sola, quæ lōgis ea Femina presserit annis, (rā
Quam quondā vndantē lacrymis, terrisq. datu-
Virgineam sobolem, trux ore obsederat Anguis,
Anguis Virgineam sobolem missurus in aluum,
Vertice septeno cui cornua dena rubebant.
Elusus tamen iste Polo transmiserat ortam
Progeniem Mulier, binis quæ postmodo in alis
Fulsit, & in vastam fugiens concessit Eremum.
Tu geminas accincta alas, tu frigida seruans
Arua diu, Angelicis iungis commercia turmis,
Sæpius in summi gremium delata Parentis:
Et quamquam superi diuina ad pondera vultus
Suspicienda, hebetem nondum cæleste rigasset
Mentem, cælestis quod gignit Gloria lumen;
Tu nec adhuc tanto dignam te munere ducens,
Flectebas oculos animæ, sparsoq per Orbem
Orabas veniam sceleri, sanctumq. refundens
Diluuium, proprij delebas crimina mundi.
Felix sorte tua, cuius iuga desuper alta
Armeniæ, scopulis exempta minantibus Arcā
Sedit, & emissam cernens de nubibus Irin,
Obscenum puris gaudet lotum imbribus orbē.
Sed

Sed quid ego hæc tādē? cū nota, ignotaq. raptim
Hinc abeas, superetq. tui vix fama superstes?
Ah dolor! an nomen nobis meminisse relictū?
Quādo autē ægrescūt gemitus, crebroq. fatiscūt
Rore genæ, vtcumq; calor mihi torpet in ore:
Siue ad Cælicolum tractus, vacuasq. cathedras
Carpis iter, seu promissa iam sede quiescens,
Vesceris æternis dapibus, plenaq. tueris
Fronte Deū, liquidis in quo ceu fontis in vndis,
Aut læui in speculo, Mundo tibi noscere prōptū
Quæ sint, quæ fuerint, & quę vētura trahantur,
Aspice res Orbis, rerum qui sceptra fatigant,
Aspice nutantes Dominos, quo firma per æuum
Relligio, fœdas non contrahat oblita labes.
Me me etiā, tua quē lacrymis ad busta profusū,
Complexumq. pedes, supremaq. iusta parantem,
Luctus habet, mitis cęlestibus aspice regnis.
Hæc ait. In læuam tristis dein lumina flectēs,
Impressas tellure notas, nomenq., obitumq.
Perlegit; extemplo sęui vis mœsta doloris
Lenitur, paullumq. abeunt mala nubila vultu.
Vt circumfusum nebulis, pluuiaq. grauatum
Aëra, ridenti Thaumantias ore serenat.
Tum parat inferias, & longo murmure carmen
Exequiale canit. Vix dum complerat, & instat
Cura recens, quo te condat, decoretq. sepulcro,
Aegypti sublime decus, se & viribus æui
Exhaustum, inualidos sola nō admittere sulcos.
Qua tamen arte potest, truncati fragmine ligni
Impiger vrget humū; sed prima in viscera crudū
Aequor hiat tantū, summaq. crepidine vulnus
Accipit, insudat pressans: nec longius ictus
Processisse videns, abijcit spem, condere fossa
Posse pigrum corpus: crebra hinc suspiria, secū
Multa rogat Superos; dextra cum parte Leonē,
Deiectumq. iubas, & nil crudele minantem,
Prociduumq. genu, magnæ ad vestigia Matris
Astare, ac blanda gressus allambere lingua,
Respicit. Intremuit pallens, desuetaq. diras
Atua feras alere expauit: sed mite Leonis
Ingenium spectans hominē, dulce annuit, ac se,

Dum

Dum cauda alludit, blandeq. ante ora coniscat,
Comiter imperijs offert: Rex magne ferarum,
Tum Senior, Diuis quãdo huc te afflantibus in-
Meq. viæ põdus, sæclisq. effæta senectus (fers,
Fossoris nullos patiuntur ferre labores,
Corpus vt hoc terræ mandem: tu cui noua feruēt
Pectora, & immani florent in corpore vires,
Exple opus officij, glebas pede frange iacentes,
Post, haud Niligenũ tumulis, haud mole superba
Pyramidum, egesta bustum condemus arena.
Continuo se operi accingit, dentesq. rigentes,
Vulnificosq. vngues acuit, dein pectore toto
Demolitur humum, detritaq. segmina terræ
Egerit, & nitēs aptam MARIAE excauat Vrnã.
Mox conclamatam conuoluens tegmine sancto
Materiam, exiguo foueæ tumulauit hiatu.
At Leo summissa Patrem ceruice salutans,
Natiuas, Agno assimilis, remeauit in oras,
Ille genu Pelusiacam veneratus Alumnam,
Cœnobij se in claustra refert, interq. cohortem
Fraternã laxis sua gaudia prodit habenis, (mis
Et MARIAM memorat, MARIM dũ fluctib⁹ al-
Sol oritur, MARIAM gremiũ dũ Tethyos intrat.
Paullatimq. animas rumor dũ gliscit in omnes,
Quotcumq; aut pietas, aut ardor adegerat illuc,
Spargitur in populos, NOMENQ; quod exijt
Viribus exiguis primo, maioribus inde (Orbi
Auspicijs, nullaq. situm minitante senecta,
Aeternam recipit duplicato fœnore famam.

F I N I S.



NEAPOLIO COMITOLVS PERVSIAE EPISCOPVS IO: BAPTISTAE LAVRO PERVSINO,



Egyptias tua tertiùm recusa, & Centurio secundæ cohortis selectæ nuper à te in lucem datus, veriti absque internuncio Prætorium Pontificis introire, adhibito togato Consobrino tuo, se conspectui meo exhibuere, ac protulere Symbola, nimirum Poëticum & Epistolare, quibus inter cognomines dignoscerentur. Sed neutro opus habebant. Nam qui cecinit & centuriauit, olim conscriptus in numero domesticorum, benè notùs erat Pontifici, sub cuius disciplina forte non pœnitenda vtriusque tyrocinium eloquentiæ egregiè deposuit: postea quamuis veteranus cum Tribunicia potestate, non ideò manumissus memoria excidit, aut character deletus est. Quid quæris? quam beneuola fronte auctorem complexus fuissem, Centuriam Selectam, & Aegyptiadem suscepi obuijs vlnis. Cœpi libros euoluere, & legere, nec desinam, donec perlegero. Tu ne require iudicium meum: nec expecta laudationem. Blandiri & adulari viderer ipse mihi & tibi, si quod sentio de ingenio, de eruditione, & de vtroq. stylo tuo hisce litteris contestarer. Vale carissime, & perge sanctioris studij, hoc est, Theologiæ tuæ vsque memor. Perusiæ Kalend. Octob. 1621.

IL-

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. D. D. FRANCISCO BARBERINO,

S. R. E. Cardinali Vrbani VIII. ex Fr. Nepoti.

IO: BAPTISTA LAVRVS PERVSINVS.



N hoc, dicâmne? Comitiali Aulicorum morbo (nam Comitia Pontificia statim consequutus est, quæ nobis sapientissimum Pontificem VRBANVM VIII. peperere) à lethifera tabe afflatus plurimum, vt pomeridianas horas vtcumq; fallerem, decurias aliquot Epigrammatum meorum collegi; ad teq; nunc primum Augustalibus Sacræ Purpuræ insignibus inauguratum, cohortis domesticæ, aut honorariæ futuras loco, allegaui. Verum fortasse hoc temerè in mentem venit, & dices febrim etiamnum in venis meis æstuare, qui illepida adeò carmina, quasi Musarum febres, à nobis abesse procul minus iusserim. Enimuerò, quid si facilius aliquandò est ægrotare, quàm ad versiculos animum non appellere?

re? fateor autē, & serio illi, qui in maiore ingruentis mali vi præstò mihi fuere, testificabuntur; dum per Aulas & cubicula vel famulorum feruerent studia, vel adeuntium amicorum obstreperent officia, omnibusq; Musæolum meum esset obuiū, nihil me magis timuisse, quàm ne cuipiam suboleret volumen Sacratiorum Carminum Illustriss. Cardinalis MAPHAEI BARBERINI *Patrui tui, & in maxima paucitate Exemplorum Parisijs excusorum, mihi auferretur meum. Ob id ne ea cura diutius torquerer, die quodam, submotis arbitris, me vnà cum Puero illuc adrepsisse, & sub ceruicali suauissimum mihi librum exinde perpetuò occultasse. Cum enim remittit febris, tutelarium Diuorum laudes, ab eloquentissimo Principum inibi expressas, lectito, postque Iatrorum pharmaca, pharmacum longè salubrius mihi ipsi diluo ac propino. Iam & hic vides me à sacris exorsum, nimirū Sanctiss. D. N. programa in Pronubum B. Virginis Annulū huc è meo Cōmentario transtulisse, quod Patriæ meæ Genius* BARBERINORVM *nomini obsequentissimus, veluti pietatis tesseram, in se beneuolentiæ æternę μνημόσυνον abhinc biennium exosculatus est, & posthac multò religiosius seruabit. Ceteris Odarijs nostris si tyrocinij poetici nomen imponas, nec censebis falsò, meq; in morbo haud ad insaniā redactū pro tua humanitate interpretabere. Vale Princeps amabilissime, & Laurum clientulorum omnium tuę amplitudinis studiosissimum, vt cœpisti, fouere perge. In Vrbe 2. Octob. 1623.*

IO:

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI EPIGRAMMATA.

Ex Auctoris Commentario de Pronubo Deiparæ Virginis Annulo, qui Perusiæ asseruatur,

Illustrrss. & Reuerendiss. D.

D. MAPHAEI CARD. BARBERINI,

Nunc Vrbani VIII. Pont. Max. ad eundem Anulum Epigramma.



Mbriferis arcus fulgens in Nubibus, Orbem
Effera diluuj dãna timere vetat,
Sic Deus omnipotens voluit. decus, anule, maius
Est tibi, quem supplex Vrbs Perusina colit.
Es gemino constans arcu felicior index,
Nam peragit Virgo nupta salutis opus,
Virgineo Terræ coniungens fœdere Cælum,
Hac duce non pelagi, non Stygis vnda nocet.



IO: BAPTISTA LAVRVS

De eodem Annulo, ex cuius attactu feminæ digitus aruerat.

Vt primum effulsit nitido splendore Lapillus,
Præstrinxitq. hominum lumina gēma recens:
Irruit infrænis pietas Mulieris Etruscæ,
Cui dederat clarum linea prisca genus;
Irruit, & temerè acceptum digito inserit: ille
Continuò attractis aruit articulis: (ceps
Clusiadæ attoniti hęserunt. sed Femina Prin-
Certior hoc thalami Virginei esse decus:
Exorat Mariam, digitum ne deserat algor,
Aeterno arescat sed reus vsque gelu.
Vindicis hoc meruit pietatis conscius horror:
Hanc meruit Nuptæ Virginis Artha fidem.

Ad Perusiam de eodem.

Quòd tibi virgineæ tribuatur tessera dextræ,
Pura maritalis tessera coniugij:
Hac, Augusta, tuos inuertere gestit amores
Diua Parens, sis vt mente reuincta Polo.
Nēpè potēs vinclū, Perusina quod alliget Astris
Pectora, Virgineus non nisi præstet Onyx.

De eodem.

Et benè habet, qđ Clusiadas post sæcla quater-
Deserat, & Gryphios Annulus intret agros, (na
Sic fertur mutasse frequens Cęlumq. locumq.
Lauretana Domus sub breuiore plaga. (est
Porrò hic Christiparæ auspicijs habeare necesse
Annule: vectores hinc propè, & indè pares.
Nam quāquā Angelicæ classes posuere priorē;
Quā propè ab Angelica sede ministrat Homo?

De eodem, & de Annulo Astronomico.

Est, qui loquaces temporis taciti notas
Distinguat Index Annulus, doceat Poli

Bissena signa, & Solis obliqui rotam.
At Virginalis Pronubus certissimam
Beatioris indicat Cæli plagam,
Solemq. verum, & stabile Vinclum coniugum,
Quod ima summis nexuit, Olympum solo.

In eundem.

Subnotato literis Chronographicis Anno MCCCCLXXXVI. quo Innocentius VIII. Pont. pro Perusinis aduersus Clusinos, & Senenses pronunciauit.

Quæ noua Cælo
Vis creat Vmbram,
Quæ Perusinis
Imminet arcibus ?
Et tamen immodicis feruoribus æstuat aer;
Sol luce premit
Terga Leonis,
Signaque signis
Obuia feruidis
Summa, ima vrunt:
Interim afflictæ
Gryphidos Vrbi
Propè viceni
Periere dies,
Dum sensim suum
Redit in gyrum
Caligo vltrix.

Verum arcana dies, atque impenetrabile lumen
Numinis æterni, Cælo obluctante, nigrantem
Stare iubet nubem, exiguus dum prodeat orbis,
Qui Mariæ digitos, totumq. exambijt Orbem.

XYsto rVVereIo,
InnoCentIo Cybò pontIfICIb.
perVs, popVL.
ſChæMa poſ.

De

De eodem.

Mirari Orbiculos iam desinat hospes Iarchæ,
Gestasse & digito quē Salomona ferūt.
Hebdomados iuuat vsq; dies Mariæ Annulus; at-
Vincētis Virtus cognita, victus amor. (que hinc

De *eodem*.

Quæ Rota Signiferi Mūdū, velut Annul⁹, ambit.
Et Lunæ ac Solis semper ab igne micat:
Par tua signifero est, Vrbs ò Perusina, iugalis
Tessera, cui Superum plurima lampas adest.
Luce fauet, quæ gessit, qui & tetigere vicissim
Anna, Ioseph, Ioachin, Christus, & Alma Parēs.

De eodem Arbusculæ suspenso, à quo sacrilegij veniam Vvintherius deprecatus est.

Vt primum suspensus Onyx è fronde pependit,
Arboreum & tetigit candida gemma librum:
Crediderim subitò conuersum germen in aurū,
Et veteres plantam deposuisse comas:
Non faceret, venæ vsque adeo cœlestis origo,
Fluxerit è digitis quæ, pia Virgo, tuis?

De eodem.

Nuper silente nocte,
Cum Siderum phalanges
Scena explicaret axis:
Ignium minutulorum
Galaxia hospitatrix
Se obiecit intuenti.
An pulchrior Corona
(Inquam) Polum liquentem

Colorat, ambit, ornat?
Tum visa vox reponi:
Dignior sit ille Circlus,
Qui Augusto splendet orbi,
Qui flammeos maniplos
Obruat nitentis æthræ.
Ille nempè Nuptialis
Illustre pignus Arrhæ;
Mariæ parentis olim
Digitos ligat maritos,
Ad coniugale pactum.
En Annulus coruscans
Candore vincit Astra:
Quem protinus salutat
Cælestium Chorèa;
Lumenque ab orbe pulchro
Mutuatur, & triumphos
Sponsalis offert Arrhæ.

De Sancto Bartholomæo Martyre.

In populos fureret cum sæua cæde Tyrannus,
Funesta streperent bellica signa tuba:
Non erat, humano clypeum qui robore ferret,
Non qui grassantem pelleret arte necem.
Cladibus in tantis, tantoq. in turbine rerum,
Præstitit egregiam Bartholomæus opem.
Corporè disrupto, pellis detracta coiuit
In clypeum, ad populos fluxit & inde salus.

AD B. VIRGINEM,

Quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa, vt Sol, terribilis, vt castrorum Acies ordinata. Cant. VI.

Forte quis Auroræ nolit te nomine dictam,
Ambiguæ referat quòd prima crepuscula lucis.
Esto: vocet Lunā; sed & hęc nigrātibus vmbris
Defi-

Deficit, & varios patitur pudibunda labores.
Dicemus Solem, roseam qui lampada torquet
Noctis in algentes tenebras, Cęlumq; Sereno
Vestit, & auratis hilarat mortalia flammis.
Nil melius. Quòd si dictis contra-ire proteruus
Audeat; armatis tu accincta cohortibus, arma
Exere bellatrix, Orbi tua nomina vindex
Adsere, linguarumq; animas præcide furentes.

Ad Domum Lauretanam.

Quòd mare per medium, ventis librata secundis,
Calcaris nullo remige terga freti;
Longè ierint nubes, pontus maiore sereno
Riserit, horrentes presserit aura minas:
Haud mirũ. eduxti tenerũ, Domus alma, Tonãtẽ,
Cui possessa truci paruit vnda Noto.

IN TRANSLATIONE
Reliquiarum SS. Petri, & Herculani Patronorum Perusin. 16. kal. Iun. 1609.
Petrus Abbas Herculanum Alloquitur.

Non potui meritos viuens tibi reddere honores:
Ante tibi funus, quàm mihi vita, fuit
Quod potui, superam Cęli translatus in Aulam,
Olim quod fuerat par tribuisse, dedi,
Non satis hoc habui, nequij quod viuus in orbe,
Nunc soluunt tumulis ossa recepta suis.

D. Petrus Abbas
Feminam prægnantem liberat.

Ibat forte via, rectà quæ tendit ad Vrbem,
Protinus exclamat cum bona Nupta, perij.
Ecce perij, ingeminat. Cęlũ implet questibus, vt
Iam grauidi ventris prægraue põdus erat. (cui

Hanc miserans Petrus, sacro nutu ærga leuauit
Viscera, deposito pondere læta silet.
Hæc verò sunt mira: Petrã quę incurrit, adacto
Ventre soluta perit, ista soluta parit.

Fabrum murarium ad vitam reuocat.

Dum Faber incumbẽs operi murarius, Aedem
Construit, in pronum corpora fractus abit.
Tu vitæ das luce frui, reuocasq. pheretro,
Absoluitq. iterum fortia cępta manu.
Sępe pio insistens operi, veri excidit arce,
Qui tonsus capite est, & tua signa colit.
Tu lapso suppone manum, releuaq. iacentem:
Est faber hic animæ, templi erat ille faber.

Patriam tutatur.

Italica de cæde calens, tibi Theutonus acer
Mortem intentabat, quam benè Petrus adest!
Petrus adest, gladiũq. trucẽ à ceruicibus aufert,
Inq, hostem pugnat feruidus ore sacro.
Seruanti Ciues das germina querna, sed olli,
Qui Patriam seruet, quæ rogo, serta dabis?

D.D. Petrus Apostolus, & Petrus Abbas.

Nox erat, & visus Petrum est excire sepulchro
Petrus, cui templum scripserat ante Petrus.
Surge age, non vna terrarum in parte fatiscit,
Quæ fracturam olim dat, malè sarta fides.
Mecùm vna incũbe huic operi, murosq. labãtes
Cùm mea petra liget, tum tua petra liget.
Paret ab his dictis Petrus, tumuloq. resurgens,
Aggredi Apostolico cum Patre iussa parat.

Mo-

Monachi ad eundem.

HORrentes cultros è petra Hebræus acuta,
Circumcisa Deo membra daturus, habet.
Nos te Petre, tua instituunt nos facta, Tonanti
Sordibus excussis, corpora casta damus.

AD DIVAM MARIAM
Aegyptiacam.

Sat populis nota es, dum Cypridis igne calescis,
Dum deserta colis, Fama sepulta tua est:
At nunc, quæ Famæ periere tempora, Carmẽ
Reddit, & æternam donat habere diem.

De Sancto Sebastiano.

Quid cessas, scelerata manus? mea pectora frãge
Et lateri infligat vulnus arundo frequens.
Nẽpè cor haud poteris, prçcurrit Olympia cuspis,
Ista salutiferum pectora vulnus habent.

De Diua Francisca Romana
Ipso Anniuersarij Coronationis Pauli V. die 19.
Maij 1608. in Apotheosim relata.

Annua Pontificis cum pompa recurrit in orbem,
Qua data sunt capiti gemmea serta tuo:
Scribitur æthereas inter Fraacisca cohortes,
Et par Cęlitibus nunc bona numen habet.
Hoc Pauli pia cura dedit, voluitq. Coronæ
Gemmanti hunc alium nectere Chrysolitum.

Cor S. Caroli amoris officina.

Quem glacies armat cęlestis nescia Amoris;
Cui ligat indomitus nescia Corda rigor;

Ad Cor accedat Caroli: Faber abditus illic,
Diuini ardoris spicula cudit Amor.
Cudit, & adducto componit fortiter arcu,
Saluificoque ictu sauciat inde animas.
Huc tela, huc arcus, huc totã inuerte Tabernã
Cordis Diue tui, feruida Roma rogat.
Roma salutari iampridem incensa fauilla,
Corda modo en iaculis præbet aperta tuis.

Cor Germanici, quod cremari non potuit.

Soluerat in cineres defletum flamma Cadauer,
Corque superfuerat, læserat illa nihil.
Portentum Romæ stupuit Tyrrhenus Aruspex.
Anne hoc venturi Præsulis omen erat? (ignis
Nempe Heroa sacrum quod in orbe Seraphicus
Vreret, & cordi parceret vsque pio.
Cernimus. Empyreo flagrauit Carolus igni;
Reliquias flammę Roma superba tenes.

Cor alatum Emblema ad Romam.

Ludit imago oculos, an habent mea verba fidẽ?
Aspicio alatũ. penniger astat Amor. (Cor
Alas aptat Amor; super insilit, atq; volatum
Carpit ab externis in tua regna plagis.
Corde velut curru, pennis Auriga supernis
Vectus Amor, vultus induit inde tuos,
Fallor? an Insubrum de finibus ipsa vehens Cor
Ora aliena geris? Roma vocaris Amor.

In Epiphania Domini.

Infantem Dominum deducta Oriente propago.
Terno salutat munere.
Ast ego, cui nec thus, non myrrhea dona, nec
Angusta cui res est nimis, (aurum,
Aequè indonatam Matrem natumq; relinquã?
Non

Non munus exiguum feram?
Eſt cor, ſunt mentis radiantia pignora, Virtus
Memor, Voluntas, Spiritus.
Aemulus hinc Regum non inferiore paratu,
Accedo ad Chriſti Cunulam. (nus,
Cor quoq; do quartum, ne Infantule, reijce mu-
Fuerit id inter ludicra.
Vox clamat Diuina. Hominum cū prole futuras
In Orbe delicias tuas.

In Cor S. Sebaſtiani.

In te dum largus iaculorum depluit imber,
Membraque Carnificum vexat anhela manus.
Tela femunt, pectuſq; onerant, & perfurit oēs
Ira per articulos, plagaque crebra tumet:
Cor ne iſtud mucrone petas? parsq; vnica toto in
Corpore, reiecta cuſpide, tuta manet?
Arbitror, hoc tua ſe clypeo Conſtantia texit,
Inſtar marmoreæ Cor tibi Turris erat.
Hoc mihi diſcrimē. qui corpora molliter vngūt,
Percurantq; cutem, mollia Corda gerunt.
At quibus eſt oneri corpus, ſtringuntq. potēter
Fræna ſui, in duris fortia corda gerunt.

Nebulas à corde depellendas.

Terra parit nebulas, nebulas quoque parturit
Hæc ductu immenſo cor tegit, illa Polū. (Aula
Terrenam Phæbus radio diſpeſcit, ab Aula
Carolus exortam præcipit ire procul.
Cor nimijs votis tumefactum, ſpeque proterua,
Borromæianam non niſi poſcit opem.

Sol Poetæ canenti blanditur.

Audierat me mane toro conſueta canentem
Carmina Sol oriens, aſtitit aure vigil.

Exiguo cœpit radio penetrare fenestram :
Interea Caroli Cor mea lingua sonat .
Cor iterat, de Corde melos dat Musa canorum,
Exiluit Phœbo Cor, aperitque iubar .
Protinus irrumpit tempestas lucida, totum
Ardentis Solis flamma cubile tenet .
Sit numeris lux ista tuis, Sol inquit . at Hymnos
Iam decantatos aure bibisse velim .
Publica sed mundi poscunt me cōmoda ? cantus
Ora hominum subeant publica; ab Axe legā .

Imago Cordis in sepulchris Antiquorum .

Mos vetus effigiem Cordis scripsisse sepulchris,
Amoris æque in mortuum ac viuum notam .
Flere libet, qualem Carolus, te Roma, figuret.
Nec falsus, es mortalium vorax sinus .
Vasta sepulchralem referunt tua mœnia nubem
Et est inane, quidquid interius latet .
Cerne tamen, quantū Caroli experiaris amorē,
Non signa, sed Cor viuidum donat tibi .
Quis scit an attactu Cordis spirabilis, esse
Cæcum sepulchrum desinas, vitam probes ?

Cor lapideum Romę in carneum commutatur .

Quod possidebas saxeum ferox nimis
Cor Roma, nunc in carneum almus Insuber
Immutat, vt sit mitior, pacatior .

Ad Paulum Card. S.Cæciliæ .
Apud quem Cor S. Caroli fuit menses aliquot.

Laudo pias curas, quas Diuis ante sepultis,
Nunc exhumandis, nunc reponendis locas .
Est felix Romæ, Princeps, tua dextera, per quam
Donatur Orbi ignota Sanctorum cohors .
Rex

Rex superũ studet his meritis par reddere, mẽtẽ
Dat vsque puram, Cęlitum plenam bonis.
Cor etiam Caroli menses concessit habere
Complusculos, exemplo vt ornares tuum.
Nunc quando par vita duos, & spiritus idem
Coniunxit; est Cor vnicum, quod erat duplex.

De Inundatione Tiberina 1614.
4. *Idus Maÿ*.

Egreditur, stagnatque super violentior vnda
Thybridis, exitio perdita Roma tuo.
Nec metuit Maias Idus, Taurumque calentem,
Incessu Geminos qui propiore petit.
Turgentes miramur Aquas, querimurq. supernè
Labentes Imbres, sæuaq. flabra Noti.
Calcantur segetes, limoque obducta palustri
Arua rigent, vortex corpora viua rapit.
Nunc, si quãdo, decet Carolum Corde, ore ciere.
D fletis studeat qui dare rebus opem.
Dextra potens nunquã tanto tibi venerit vsu
Roma, Patrem lacrymis ipsa precare tuis.

Ad Illustrissimum Cardinalem Lantem.
Kalend. Ianuarÿ.

Annuæ Iani redeunt kalendæ;
Principum gaudet chorus; appropinquant
Dexteræ pingues, opulenta certant
Dona Clientum.

Ipse quid magno exhibeam Patrono,
Nullius ditis dominator Arcæ,
Impotens rerum, validusq; tantum
Diuite voto?

Roma septeno decorata monte,
Roma regnantum speciosa mater,
Quale nam donum tulit à potenti
Principe Princeps?

k 6 Non

Non ſtrues auri, pateras, lebetas,
Vaſa cruſtata, igneolos lapillos,
Indici pompam maris, exterumque
Vellera Serum.

Cor capit: fax Inſubriæ, decusque,
Ab rubra quondam radians Tiara,
Carolus miſit, ſed habetur ampli
Muneris inſtar.

Ipſe diuinos imiter Dynaſtas,
Cor habe noſtrum, generoſe Princeps,
Ne, licet parui, renue clientis
Credita dona.

Noſtra ſunt ſaltem: precioſa namque
Largiens, nobis aliena donem.
Corde ſecluſo, haud rear eſſe noſtrum,
Omne, quod extra eſt.

De Pudore, & Nemeſi.

Et Pudor, & Nemeſis, cum ferrea viueret ætas,
Dicuntur patrij repetiſſe palatia Cęli.
Ille Iouem iuxta Regem conſedit, at iſtæc
Herculis exuuias inter, Trutinamq. volantem
Fulſit, & æthereis ſe miſcuit vltima ſignis.
Tunc furor, & cædes, odiũq. immane proteruas
Inuaſere domos, facti quæſitor iniqui
Nullus erat, ſummi Reuerentia nulla Tonãtis.
Quid tandē? mouere Deos ſcelera impia, Tellus
Vnda vltrice perit, meritaſq; dat improba pęnas.
Vt verò emicuit meliori in imagine Mundus,
Mutatæq; hominum mentes. Tu Virginis Aſtrũ
Deſeris, æquatæ cultrix ſanctiſſima Libræ,
Tuq. Pudor Iouiam ſedem. Iam fuſa per orbē
Maieſtas, Legumq. decus placidiſſima ducunt
Tempora. & æternos proprijs cultoribus annos
Impendunt, annosq. ſupra, clariſſima ſpondent
Sidera, queis magno ſęnıũ cum Neſtore vincãt.
Ergo,

Ergo, homines, Nemesin, sãctũq. Pudoris amorẽ
Concipite, & Clariæ cursum sperate iuuentæ.

Ad amplissimum

D. MARCVM VELSERVM

Duumvirum Augustanum.

Et benè habet, Velsere, tibi quòd carmina Marcus
Peritiorum Principi, Princeps dicat.
Sic Arpinati Varro, sic Picus Etrusci
Cæli Angelo, Bemboq. Fracastorius.
Certè ego (secedat teneri lex carminis) optem
Stylo eruditiore in Astra tollere
Vtrosque: & te, Vindelicas spectande per oras,
Beatitatis fruge tanta præditum;
Quantã animo, hoc æui, sapientũ pectora fas est
Concipere: teq; Oenotriæ lumen tuæ.
Mirũ Orbi exemplũ; cuius Constantia mentis,
Inter tot ægri corporis cęcas lues,
Elucet par eloquio. sed pondere ceruix
Nimio labascit: vosque, si minus lyra,
Prosequar adfectu, nolimq. in amore vtriusq;
Mihi anteferri quemquã. At alterum vt colo
Præsens, & Dircęa volens me proluit vnda,
Culto effluens ab ore: sic colo alterum,
Et mecum reuerens, Cliûs ceu Numen adoro;
Animæq; passu feruido æternùm sequor.

De Victoria

FERDINANDI IMPERATORIS,

Deque eius clementia expugnata
Praga 1620.

Desijt impietas Aquilis victricibus arma
Inferre, ac Morauos contra animare suos.
Nempè stetit meliore loco res Cæsaris. hostes
En leuat officio, quos premere ense potest;
Cæli.

Cælitibus modò thura ferãt, & dogmata dãnẽt
Quæ Caluinus amat, quæq; Lutherus amat.
Hæc est Cæsareo victoria digna triumpho,
Sanguine fœdatas non sinere esse manus.

In supplicationem
Indictam à Paulo Quinto, ob recuperatam Pragam.

Arcis vt edomitæ tota percrebuit Vrbe
Rumor, ad Exquilias Paulus anhelat iter,
Lætus agit MARIÆ grates, & parta trophęa
Adscribit certis Virginis auspicijs.
Terra madet, noctem obscęnus fędauerat imber,
Et tamen it pedibus cum Patre rubra cohors.
Rara Senis pietas! Superi hanc augete triũphis;
Cęsaris en gladius pro pietate calet.

Sapientia per laborem parta cum gaudio colitur.

Ad Comitem Franciscum Mariam Cantalmaium, & Fratres, dum Perusiæ doctoratus Laurea decorarentur.

Cortice sub duro vestræ latet Arboris Histrix,
Terra pruinoso dum riget vsta gelu.
Ast vbi sunt Zephiris laxata tepentibus arua,
Prodit, & excursu liberiore meat.
Admonet hoc per continuos magnosq. labores,
Gaudia Musarum cuiq. fruenda dari.
Noctes atq; dies curis operemur honestis,
Tandem aderit nostro parta labore quies.

In

In Cometem Matutinum Anni 1618.

Hymnus

Ad Paulum Quintum.

Noua Cælo purpurascens
Fax Auroram prouocat;
Populique mirabundi
Cateruatim confluunt.
Quale, clamant, hoc est Astrum
Conspicuum barba, an coma?
Vnde flammeum colorem
Sensim crescens ebibit?
Quatit horror hos aut illos,
Qui bella & pestem expauent.
Sed, ò mens ignara rerum!
Nota non intelligunt.
Ridet Axis, plaudit Æther,
Pulchra crines Astra explicant;
Vrbem, Orbem consalutant,
Quique fræno hunc temperant.
Longa his nam vitæ secla
Plena Gratijs, & iubilo,
Subditisque Faustitatem
Pleno modio annuntiant.
Quid quod igne nuptiali
Ipsa flagrant sidera:
Cur Vrsina tæda cessat
Facem vri ad Burghesiam?
Paule gaude, cuius sceptris
Gloriarum hæc seges datur,
Pareant vt imperanti
Prodeuntes ignes Polo.
Euge Roma, prome plectrum,
Cane gratum Astris Principem;
THYBRIS en inflare gestit
Concham latè argenteam.

Huic

Huic & melos addo nouum ,
Nouam Cœli vt hospitam
Concinam, læta ominantem ,
Comatulam , barbatulam .

Ad eundem .

Extructæ moles , iussiq, assurgere Fontes
Aeternum possunt conciliare decus .
Quid tempus non frangit edax?vel ferrea turris
Auctoris funus concidit ante sui .
Si verò faueat Clio . ruat æthere fulmen ,
Terra fremat, pugnent æquora . perstat epos.
Paule, tuis donis,q̃bus estRoma inclyta,plaude.
Pignus habent famæ, quãdo ea Carmẽ habẽt.

Ad
CARDINALEM BVRGHESIVM.

Circumfert roseos Titan quaecumq. capillos ,
Excitat adflicti viscera pigra soli . (auro
Scipio , cui minio coma fulgurat , & chlamys
Illusa ; & veri Numina Solis habes;
Ianigenum in pigros iaculeris lumina tractus ,
Et potet radios gens Perusina tuos .
Certa fides, non hic tantum frõdescere Lauros ,
Sed fœta omnigena fruge tumescet humus .

DE PAVLO V. PONT.

Decuit , Leonis sæcla post demortui ,
Dari Draconem cum Tonantis alite .
Vt occidentis iam senectæ fulmine
Afflatus Orbis, nunc Dracone præuio ,
Viridis Iuuentæ robur adsumat nouum .
Tum , terrea nil obsitus caligine ,
Tollat se in auras , Alitis ductu sacræ ;
Tellusq, scandens æthera , ipsa æther fiet .

Ad

Ad eundem.

Vix dum Tyrrhenā rumor penetra rat ad vrbē
Te Bar-Ioniacæ fræna tenere Ratis:
Cum mihi per ſpeciem ſommi, ſe obiecit imago
Militiæ, latè quam pius Orbis habet.
Vndique Palladijs florebant frondibus haſtæ,
Atq; acies Oleę pulcher obibat honos.
Quid ſibi vult, dixi, quod fulgurat agmine ab omni
Sancta ſeges? quonam ſub duce miles agit?
Actutum verax circumſonat aëra ſermo.
Peruaſit mundi Pax, ait, omne latus.
Nil non ſperandū Paulo duce, & auſpice Paulo
Nomen Pacis adeſt, effera bella procul.
Marte relegato, ſacras procumbere ad aras
Videris Eoi ſigna inimica Ducis.
Tum vero in Cererē turgeſcent omnia, alumnæ
Pacis; ab æriſonis aurea ſæcla fluent.
Dixit, & auſpicijs firmans læta omina, Paulum
Intonat, Auguſtus rettulit Orbis idem.

Ad Athilam Hunnorum Regem.

Auſonias, i, rumpe fores, inuertere aratro
Mœnia Romulidum, Rex truculenre, para.
At tibi magnanimi vis infringenda Leonis
Pectore non trepido qui tua caſtra petit.
Nec vero Herculeæ tibi virtus inclyta dextrę:
Cede, aut ab forti victe Leone, iace.

De D. Leone Pont. & Athila.

Eſt labor Alcidæ, qui iuxta brachia Cancri,
Qui iuxta Erigonem, fulget in axe Leo.
Terret adhuc, ſi qua in ſilua ſtellantis Olympi
Sidere conſpicuo Bellua picta fremit.
Eſt Chriſti labor, Eccleſiæ quod Olympicus axis
Splen-

Splendeat, & gremio sidera sacra gerat.
In grege bisseno Astrorum, diuina Leonis
Signa, lacertosis sunt metuenda iubis.
Terret latrantes eius regionis alumnos,
Extra si qua latret Bellua, sternit humi.
Ah rictus pone, Hungaricæ Canis accola terræ;
Aut tua perfodiat viscera dente Leo.

De Paulo V. & Athila.

Athila Pannonicis præceps delatus ab oris
In iura Italidum, Romuleosq; lares:
Vincitur inuicta metuendi voce Leonis,
Et fugit ad patrios non rediturus agros.
Idem Burghesi pedibus nunc subditur vltro,
Seq; iugi patiens mancipat ecce Patri.
Heroi ducit satius parere Latino,
Quandò etiam Paulo Sacra Tiara datur.

De D. Leone Pont. & Athila.

Mulcet barbaricum leni sermone Tyrannum,
Atq; aliò cogit castra mouere, Leo.
Vrget & Heroum par nobile; spicula in Hunnũ
Dum parat, & viso milite discruciat.
Astutum Hũgaricas rapitur fugitiuus ad Vrbes:
Ne fuge, ne dubias Athila carpe vias.
Ne fuge; post paullò si sis moriture Lyæo,
Heroum ad sanctos præstat obire pedes.

De augustissimo EVCHARISTIÆ SANCTVARIO *Globi vi excusso.*

Tormento Aediculã quassant, qua cõditur albo
Pane latens Christus, nostra medela, salus.
Ah scelus indignum! proh fœda licentia belli!
Sæua manus? tantum quæ fuit ausa nefas.
Ob-

Obruat, ò, fontem tempeſtas ſaxea, fulmen
  Comminuat, Stygij ſorbeat vnda maris,
Pro ſcelere immani, pro tam furialibus auſis,
  Nulla ſatis clades; vltio nulla ſatis.

Alba Pompeia ad ſuum Epiſcopum.

Flere ego deſieram truculenti incendia belli,
  Pro lacrymis ferrum ſtringere tempus erat.
Dum Ciues alibi pugnant, quid tu mihi talis
  Paſtor ades, totum corpus & ora lacer?
Iſnè decor mitræ? ſacri hæc reuerentia Myſtæ?
  Hæreticæ, vt video, ſæuijt ira manus.
En redeo ad lacrymas, ſuperosq. pcabor, vt ipſis
  Mergar aquis, oculis ne ſcelera iſta notem.

Militis Natatoris ſtatua prope Antium effoſſa.

Cernis, vt audaci membrorum mole feratur,
  Quæ ſacra Dijs pelagi eſt, ſaxea forma Viri.
Parma quidẽ breuis obſtãtes benè diſijcit vndas,
  Quæ redit in tergum dextra retorta, ſugat.
Illa ſupergreſſas mira domat arte procellas,
  Hæc flexo in pronum vertice, findit aquas:
Sic vouit quicunq; fuit, tumido æquore raptus,
  Inque Deum incolumis ſede Natator adeſt.

In librum Rob. Cardinalis Bellarmini de Aſcenſione mentis in Deum.

Sideream qua mens ratione feratur in arcem,
  Et domito inuadàt fortiter Orbe Polos;
Bellarmine, tuus mira docet arte libellus;
  Beniamidæ hũc ſimilem ſancta ſenecta dedit.
Ergo plus alijs meritò hæc tibi pagina cordi eſt,
  Nosque pari ſtudio percoluiſſe decet.
Simus Beniamidæ fratres, tibi gignitur ille,
  Agnoſcant gnatos nos tua ſcripta tuos.

De

De Ponte Acuto, siue a Cotibus denominato, non longe ab Vrbe Tudertina Card. Lantes Episc. Tud. opera refecto.

Cesserat insanis Tyberis Pons obrutus vndis,
Nec Tuderi hinc solidæ spes erat vlla viæ;
Addita purpureo virtus Romana galero,
Frustratum ante alios LANTIS adegit opus.
Tybri, prius Pons iste tuã est vim passus inultus:
Par modò te Pontis vimq., iugumq. pati.

Lapis in quo gladij aliquot extant aristis obuallati. De Arbylo.

Rus colit, eiectis opulenta ex Valle colonis
Arbylus, & cultæ semina mandat humo.
Altùm forte screat, malasq. exfibulat ambas;
Auulsos dentes terra subacta capit.
Horruit, & subito deiectus funere mussat:
Cum Cerere obueniet num tua Cadme, seges?
E tumulo hinc cernis fruges cõsurgere, & enses:
Sic cum Triptolemo Martia glæba facit.

De *Puero, & Scorpio.*

Humidulas iuxta cautes dum luderet infans,
Vexaretq. rudi frigida saxa manu;
Implicitus digitis truculentus Scorpius hęsit,
Sensim imo educens tætra venena sinu.
Ille dolens, ori applicuit dextramq. feramq.,
Quæ tristem iecit cordis ad ima luem.
Heu miserande Puer, tepido qui ex ore medelam
Dum speras, certam combibis inde necem:

De *Acone.*

Aestiuo fureret cum Titan feruidus igni,
Icarium gemeret terra perusta Canem;
Quà

Quà Nem⁹ vmbriferũ labẽtibus imminet vndis,
Armenti cuſtos ibat anhelus Acon.
His certe requieſſe locis, ait, & leuis vmbra
Suadet, & aſſiduo quæ fluit vnda ſono.
Adde quod, vt rapidi frãgãtur vtrimq. calores;
Vmbrã fluctus adit, fluctibus vmbra natat.

Epitaphium.

Obbam combiberam lactis, medioq. ſub æſtu,
Mollior intrarat pectora feſſa ſopor.
Non animaduerſo lapſu cum prodijt Anguis,
Ora petens, hauſtæ ductus odore niuis.
Dente meo compreſſus obit, ſed & ipſa malignũ
Ore bibo virus, prædaq. mortis agor.
At mea Mors grauior; nam vili condita ſaxo
Infelix, hoſti nobilis Vrna fui.

Tumulus Violanthis.

Quiſquis es, exiguã qui lumina figis in Vrnam,
Pulueris & taciti nomen inane cupis;
Irrora cinerem lacrymis, è mole ſepulta
Quæ erumpent Violæ, nomina noſtra dabũt.

Nautica.

Cum niger inuerſo crudeſceret ęquore nimbus,
Et pelagi faciem ſæua referret hyems;
Ambiguus vitæ, peritura in puppe Lycormas,
Oblatam adſpiciens lampada, lętus ait.
Lychne, ſedens alta in ſpecula, ſpes fida ſalutis
Vna meæ, excubias qui mihi nocte trahis;
Viue diu, & nanti numquam vacuatus oliuo,
Præfer inocciduam per freta nigra facem:
Sic mihi vel Lunæ fax æmula, quã Pharos effert,
Arctoæ aut fueris Stella ſecunda plagę.

In

In Vrsam Insigne Pompei Carrbasij.

Est intacta mari, nullisq; obnoxia fatis
Vrsa, penes nostrum nata rubere Polum.
Nec tua mergetur, Vatum lepidissime; at vsq;
Cum tua sit virtus clara sub Antipodas:
Non moritura olim viuet per secula; eritq;
Parrhasis Vrsa Polo, Carrhasis Vrsa solo.

In Musæum Francisci Gualdi Equitis Ariminensis.

Aula breuis, sed quam ditat preciosa supellex,
Et multiplex rerum seges.
Fœta alibi quæ effundit opes Natura, recessu
Hoc, Gualde, se exonerat tuo.
Aemula nec donis non Ars se ostendit opimis,
Vel arte, vel tabulis loquax.
Nec tamen his auidè mens excubat vna fruēdis
Tua, sed in omnes explicat,
Admittitque volens, parui quoscunque Theatri
Imago pellexit frequens.
Aula angusta quidem, sed Regū augustior Aulis,
Vbi blanda respirat quies;
Ambitus hinc longè, hinc fucus lōgè exulat, vno
Hoc tu beatus angulo;
Ex quo subtractus tuus est Leo fluctibus Orbis,
Mœrore & Vrbem perdidit.
O vtinam! (verum Vrbani post plurima sæcla)
Par adsit & quies mihi.
At te delicijs pollens, me parua supellex
Beabit, haud libris carens.

Ad

Ad Illuſtriſſimum D.

SILVESTRVM

ALDOBRANDINVM

Magnum Vrbis Priorem.

Qui postea à Clemente Octauo creatus eſt Cardinalis S. Cæſarei.

HOc opus egregiũ, Muſas adiungere Marti:
Sic nempe armorum nil graue põdus erit.
Diſce Puer, Mars hic aderit tibi miſſus ab Arcto,
Caſtalijq. aderit turba nouena chori.
Diſce Puer. (nam ſi Vatẽ bonus implet Apollo)
Ieſſæum vinces, Peliacumq. Ducem.

In Aduentu Eiuſdem Peruſiam.

Ecquid humus. dũ Ianigenũ cõtendis ad Vrbẽ.
Guttis madeſcit imbrium?
Diſceſſu num forte tuo mœſtiſſima Roma,
Cum lacrymas, queis liquitur,
Ferre tibi nequeat, Cælum ſubmiſſa precatur,
Guttas ab alto vt funditet,
Mœroris quæ certa ſui ſint ſymbola, quod ſis
Abſens ab Vrbe Romuli?

ANAGRAMMA.

SILVESTER ROMAE PRIOR
Ter erit maior Vlyſſe.

Dum Matris grauida Puer egredereris ab aluo,
Quæ Iouis è cerebro fluxerat, hęc cecinit.
Creſcet io, & patrios felix adoleſcet in annos,
Et TER ERIT magno MAIOR VLYSSe meo.

Quæ

In Vrsam Insigne Pompei Carrhasij.

Est intacta mari, nullisq; obnoxia fatis
Vrsa, penes nostrum nata rubere Polum.
Nec tua mergetur, Vatum lepidissime; at vsq;
Cum tua sit virtus clara sub Antipodas:
Non moritura olim viuet per sęcula; eritq;
Parrhasis Vrsa Polo, Carrhasis Vrsa solo.

In Musæum Francisci Gualdi Equitis Ariminensis.

Aula breuis, sed quam ditat preciosa supellex,
Et multiplex rerum seges.
Fœta alibi quæ effundit opes Natura, recessu
Hoc, Gualde, se exonerat tuo.
Aemula nec donis non Ars se ostendit opimis,
Vel arte, vel tabulis loquax.
Nec tamen his auidè mens excubat vna fruēdis
Tua, sed in omnes explicat,
Admittitque volens, parui quoscunque Theatri
Imago pellexit frequens.
Aula angusta quidem, sed Regū augustior Aulis.
Vbi blanda respirat quies;
Ambitus hinc longè, hinc fucus lōgè exulat, vno
Hoc tu beatus angulo;
Ex quo subtractus tuus est Leo fluctibus Orbis,
Mœrore & Vrbem perdidit.
O vtinam! (verum Vrbani post plurima sæcla)
Par adsit & quies mihi.
At te delicijs pollens, me parua supellex
Beabit, haud libris carens.

Ad

Ad Illustrissimum D.

SILVESTRVM

ALDOBRANDINVM

Magnum Vrbis Priorem.

Qui postea à Clemente Octauo creatus est Cardinalis S. Cæsarei.

HOc opus egregiũ, Musas adiungere Marti:
Sic nempe armorum nil graue pōdus erit.
Disce Puer, Mars hic aderit tibi missus ab Arcto,
Castalijq. aderit turba nouena chori.
Disce Puer. (nam si Vatē bonus implet Apollo)
Iessæum vinces, Peliacumq. Ducem.

In Aduentu Eiusdem Perusiam.

Ecquid humus. dū Ianigenū cōtendis ad Vrbē.
Guttis madescit imbrium?
Discessu num forte tuo mœstissima Roma,
Cum lacrymas, queis liquitur,
Ferre tibi nequeat, Cælum submissa precatur,
Guttas ab alto vt funditet,
Mœroris quæ certa sui sint symbola, quod sis
Absens ab Vrbe Romuli?

ANAGRAMMA.

SILVESTER ROMAE PRIOR
Ter erit maior Vlysse.

Dum Matris grauida Puer egredereris ab aluo,
Quæ Iouis è cerebro fluxerat, hęc cecinit.
Crescet io, & patrios felix adolescet in annos,
Et TER ERIT magno MAIOR VLYSSe meo.

Quæ

SILVESTER ALDOBRANDINVS
Venturis erit Sol alter in Annis.

Dum tener æquoreis Sol Tethyos errat in vndis,
Ludit & ad murmur dulce fluentis aquæ,
Affulsit Puero Proteus, fatumq. reclusit:
Quadrigas Cæli primus in arce reges.
Et ne, per varios dum cogeris ire recursus,
Labatur nimio fessa labore manus;
VENTVRIS SOL ALTER ERIT Siluester IN
Et mira superas hauriet arte vias. (ANNIS
Deciduis vtinam LAVRI bonus influat vmbris,
Et Solis proprium sic imitetur opus.

Sacerdotij Mariani lite incboata ad S.*Theodorum martyrum.*

Iam ventum ad pugnã, lis incipit. expedit arma
Hinc & nostra manus, hinc inimica manus.
Prælia nunc primũ dubia hæc, Theodore, gerẽti
Æterna rerum cum Genitrice faue. (arma;
Casta Helena est nobis, pro Virgine mouimus
Obscœnus nostro fac Paris ense cadat,

Ad S.*Catherinam, dum causa cognosceretur in Romana Rota.*

Imposita es Catharina Rotæ, Rota fracta repẽte
Dissiluit; victo Cæsare palma tua est.
Et mea de Mariæ hospitio (sic iussit iniquus
Arbiter) iniecta est causa probanda Rotæ.
Stet precor incolumis, circlus frangatur ahenus
Auspice te, victo ex hoste trophœa feram.

In Obitum Io:*Pauli Lauri fratris* 19. *Septembris* 1616.

Nox erat extremo in cursu, pariterq. supremam
Tangebant metam tempora, Laure, tua.
Spiritus æthereo se inferre parabat Olympo
Protinus, & superis se inseruisse choris.

Rex

Rex Cæli annuerat; cumq. vltima cederet Axe
Stella, tuum voluit Stella præiret iter.

AD PERVSIAM,

De eius publica expiatione per Iubilæum; & benedictionem Pontificiam 1614.

Ergò rudes vestita togas, cinere obruta crines,
Nuda pedes, tollens brachia ad Astra, gemis.
Patria cara gemis Gnatorum antiqua tuorum
Crimina, & in presens quę noua turba patrat.
Sanctum opus. è Cælo tot, tãta piacula Christus
Respicit, & proprio perluit amne scelus.(tur;
Gaude animo; auspicia hinc rerũ meliora sequẽ-
Viuendi fueris cum genus orsa nouum.

Ad Pandulphum Ansidæum.

Et fuit infelix in plano casus, & inde
Dextra tibi duplici tibia fracta loco est.
Sed benè quòd propior Carolo tua cernitur ędes,
Qui medica poterit crus solidare manu.
Hunc votis accerse, vltroq. ad vulnera Cordis,
Si qua tibi fuerint, auxiliator erit.

De Templo D. Dominici Perusiæ longè amplissimo, vetustissimoq; subita ruina collapso 1613.

Corruit Augustæ Templum, quod nobile, vastũ
Credo, Pater Patriæ condidit ipse Noas.
Extulit, ornauit sæpè admirata vetustas,
Nec par Italiæ regna habuisse ferunt.
Hora dedit pessũ. quantus fragor impulit Vrbẽ!
Ianus ab adiuncta Valle retorsit iter.
Fluctibus attonitis inflexit cornua Thybris,
Complanata ratus mœnia, adacta solo.
I; nunc structuris Romane, perennibus insta:
Sera licet, cunctas auferet vna dies.

Ad Illustriss. & Reuerendiss. D.

D. MAPHAEVM BARBERINVM,

CAMERAE APOST. CLERICVM, Aquis Trasymeni coërcendis, educendisq; à Clem. VIII. Præfectum 1602.

Qui 6. Augusti 1623. Vrbani Octaui assumpto nomine Summus Pontifex creatus est.

NEAPOLIO

PERVSIAE EPISCOPVS.

Principis imperio Trasymeno imponere leges,
Atque exundantes cogere missus aquas,
Seu veteres laxare Cauos, quos Bracchius olim
Effodit, tentas siue aperire nouos;
Ni fortuna tuæ virtuti, & nisibus obstet,
Haud frustrà in tanta cura operosus eris.
Effusam latè lernam siccasse, lacumque
Per subterfossas euacuasse vias,
Prauastis animis, opibusque adscribitur: vnde
Herculis ille labor: Cæsaris istud opus.
Sumptus ingenium supplet, solertia vires
Aggerit, & iussus Principis vrget opus.
Iamq; suis Trasymenus aquis dat signa recessus,
Edicens, vt, quò iusseris, illò abeat.
Quod citò paruerint, neuter fert æmulus ægrè;
Est, qui te misit, Principe vterque minor.

Cyria-

CYRIACO ROCCIO

FERRARIAE PROLEGATO.

IO. BAPTISTA LAVRVS, S. D.



Vc peruenerat excudendo Typographus, cum Reuerendiss. Neapolionis Comituli Perusiæ Antistitis, tui olim amantissimi, tristissimus renunciatus est obitus. Qui licet quintum & septuagesimum excessisset annum, senectutis tamen incōmoda, cum ingenio esset viuido, memoriaq. exprompta, propemodum sensisse non est visus. Annos triginta tres, communi Patriæ à Gregorio XIV. cum prius in XiiVirali Romanæ Rotæ Cōsilio Auditoris obisset munus, datus Episcopus, summa spectatæ vitæ innocentia traduxit, & quasi quotidie moriturus, mortuorum sibi Vigilias quotidie occinebat, totus in Ecclesiastica disciplina tradenda, Cleroq. informando, Vir liberalibus doctrinis apprimè instructus, ac sacræ Poëseos in primis studiosus, quā in postremo vitæ actu, dum esset in lectulo, in curru, in triclinio, vt à curis grauioribus animum auocaret, sic vsurpauit, vt numeros vltrò contēneret; argumenti grauitate ac sensibus dūtaxat oblectaretur. cuiusmodi sunt Carmina, quæ ad manus meas peruenire voluit, Sanctiss. D.N. Vrbano VIII. recens ad Pontificatum euecto, offerēda: ea veluti piaculare quippiā in scriniolo seruo: litteras tamen ad eundem paulò ante quàm

migraret è viuis, conceptas, atque à suis super abaco cubiculi, in quo efflauit animã, repertas, & ad me, qui redderem, missas, in mearum calce trãscriptas magna cum voluptate leges. Immortaliter autẽ sapientissimo Præsuli debeo, qui me vix puberem, non tam Pauli Sanvitalis Episcopi Spoletini & Card. Arigonij Auũculi tui hortatu, quàm sua sponte singulari studio accepit in clientelã, & in Seminario, verius apud se, educãdum curauit, litterarijsq; exercitationibus ipsemet excolere, paterno planè affectu, dedignatus non est. Quinetiã Artiũ exacto curriculo, vt eas in Patrio Gymnasio profiterer; grauis admonitor accessit. Septẽnio post cum ad aulicos defecissem, Romæq; agerẽ in familia Card. Lantes Episcopi Tudertini, ac Comitolus paucis ante mensibus, quàm Paulus V. mortalitatẽ expleret, huc cõmigrasset, mecum de Perusinæ Ecclesiæ Episcopis Historiã propè absolutam cõmunicauit: auctorq; fuit, idẽ vt ego in Tudertinis præstarem, quod continuò feci: meãq; scriptionem consultò premebã, vsque dum ille in publicum proferret suã: nimirum vt complurium nostratium Episcoporum Pontificatu renarrato, vniuersa penè finitimarũ Vrbium proderetur antiquitas. Quam sanè lucubrationem fortasse hæredes diu desiderari à nobis minimè patientur: quod vtinam celeriter effectum reddant, alioqui integerrimi Antistitis appellabo Manes, in Cæli Sanctuarium, vt credimus, iam receptos, & Illustriss. D. Cosmũ de Torres Card. in demortui locum à Sanctiss. D. N. suffectum, enixè rogabo; vt eam prouinciam non grauatè suscipiat. Facturum non dubito. Cum enim inter Ludouicũ de Torres Cardinalẽ, & Comitolum Episcopum arctissimæ necessitudinis olim iura intercesserint, haud puto gratissimum Nepotem æquo animo laturum, si studiosissimi gentilium suorum Præsulis, suiq; antecessoris scripta supprimantur. Vale Romæ 3. kal. Septemb. 1624.

San-

Sanctiss. D. N.

VRBANO OCTAVO

PONT. MAX.

NEAPOLIO COMITOLVS

PERVSIAE EPISCOPVS.





B eo die (Beatissime Pater) quo primum positus es regere Ecclesiam Dei: Ego inter Operarios tuos Episcopos minimus, & tibi iamdiu deditissimus, plurimum gauisus, plurimas ipsi omnium rerum moderatori egi gratias, præuiso, in ipsa tua exaltatione, totius Christiani Populi bono. Et gaudium meum, Beatitudini Tuæ, explicare litteris optaui, sed debitæ obseruantiæ ius, scribendi cupiditatem re-

presit; quod Principem Adminiſtri videantur conſultius venerari animo, ac prompta in iuſsis voluntate, quam verbis. Facere tamen non potui, quin litterarum loco, deuotionem meam ad tuos pedes explicaturum, mitterem, Sanctitati Tuæ ab adoleſcentia beneficijs obſtrictũ, & mihi iamdiu familiarẽ, Fuluium Mariotellum, nec pęnituit miſiſſe, quod cum illum, tali munere pro me functum, benigne, vrbaneq; habueris, in triſti ſenecta, fuerim plurimum recreatus: & cupientem etiam ob id ſcribere, vt gratias agerem, retardauit Maieſtas. Iam verò anni Pontificatus tui recurrente principio; quem primum, plurimorum nexu, optare expedit Chriſtiano Orbi vniuerſo; facile de tua per annum perſpecta benignitate ſpero, vt (quando Deus incolatũ meum hucuſque prolongauit) non improbes, quod antequam curſum conſumem reuerenti auſu, has ipſas litteras ad Sanctiſs. pedes tuos per Io: Baptiſtã Laurum, deponendas, conſignem.

non vt quid meream de me sollicitus; quid enim ipse amplius in vita mortali sperem? Sed & vt tibi ex animo tribuam, quod debeo; & de Ecclesia mihi commissa satagens, te precer, vt post meum discessum, pia Perusiæ religio non sit tibi in minimis: & quod nos exilitate nostra ædificare non potuimus, sit qui ædificet, & perficiat. Firmis viribus, atque inconcussis, per annum, opus omnium maximum tenuisti; omnes vidimus, gaudemus, fruimur. Vigent iustitia, pax, animi fortitudo, constantia, sapientia, gaudemus, iterum dico, gaudemus, & te vno sospite, speramus omnium gaudium impleri. Perusiæ aliquamdiu iam nondum Purpuratus fuisti; vt pene perditis Trasymeni rebus opem ferres, tulisti; oppressam calamitatibus gentē subleuasti: Ciuium & mores, & ingenium vidisti; cognouisti, & ab omnibus laudatissimus, laudasti. Quod Populum bello aptissimum aduertisses, statim ab ipso Pontificatus principio Perusinos Ciues militari-

Romam commigrauimus; negotia semper imminent, curis aliò traducimur, sic vt mēti quiduis aliud adhæresceret, & sacrosācti Cordis corde exciderit cogitatio. Nuperrimè verò dū Pronubi Annuli editionem vrgeo, qui ad coronandum Cor, idemque exhilarandum inuentus memoratur: Borromæiani Cordis blandior rediit animo species: & iam carendi impatiens, confestim recordor, Exemplar à me iamdudum Egnatio commodatum. Nulla mora, repeto, grauibus conuicijs vtor, ac plagij crimen tātum nō impono. Ecce homo clamitans ad me, fidēqs hominum obtestatus, verbis atrocibus furtum & flagitium renarrat. In arculam benè obseratam coniecisse se ait pecuniarum plurimum, & vnà scripta quæpiam cariora abdidisse, in quibus essent & nostra: pessimos nebulones ipsius loculis insidiatos, quibus è ligneo ergastulo argentum suboluerat: die quodam acceptam arculam in conclaue abduxisse, & supposito arido pabulo composuisse sub camino, statimque conceptis flammis, è diffracto conditorio semiustulatum marsupium abstulisse, egregiè Plutum extrudentes per Vulcanum. Ex quo sanè incendio maius vtrisq; scriptorum damnum est obiectum, quàm vni Egnatio pecuniarum. Quid multa? Risi pariter ac dolui, & memoriæ continuò occurrit Germanici mors, cuius cremati Cor inter ossa incorruptum repertum traditur. Quod videlicet veneno tinctum igne confici nō posset. Enimuerò ecquod pestilentius venenum Cor afflet, quod cum argento conferri queat? Atqui perierit licet Borromæiana scriptio; aliqua iacturam sarciemus. Ille interim, cuius fortasse laudes minus pro dignitate à nobis fuerant expositæ, vobis mihique perpetuò fauens adsit. Romæ kal. Nouembris M. DC. XXI.



FINIS.

Errata			Corrige
pag.	lin.		
27	25	preciofo	preciofa
40	20	ludes	laudes
73	8	Tarbunus	Taburnus
	11	versus	virtus
85	15	amorum	armorum
91	13	fabrisq;	flabrisq;
110	17	licet	liceret
112	1	menfa	immenfa
114		in marg. metheor.	method.
	35	nitunrur	nititur
115	6	cognitione	cognatione
118	8	in pugnāte Auerroes,	ĩpugnāte Auerroe,
	38	quq	quo
127	15	toto	tota
176	1	irruat	Ne ruat
211	5	vtcumq;	vocumq;
230	13	Sacerdotis	Sacerdotij.

